Inn" Lunerk

Mad" P[illegible]

ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

Collect. Script.

Ic Fabric.

NICOLAI RIGLER

PHYSICI DVCATVS BIELICENSIS

IN

SILESIA AVSTRIACA

CONSTITVTIO EPIDEMICA

ANNORVM 1775. 76. 78. 79.

ADIECTIS

NONNVLLIS SELECTIORIBVS CASIBVS

PRACTICIS.

VRATISLAVIAE, 1780.

SVMPTIBVS GVILIELMI THEOPHILI KORN.

Morborum semper vulgariter grassantium impetum et tempestatis conditionem tito animo concipere oportet.

HIPPOCRATES *in Praenot. versus finem interpr.*

FOESIO.

CELSISSIMO

PRINCIPI S. R. I.

DOMINO

AVGVSTO SVLKOWSKY

DVCI

REGNANTI BIELICENSI

VTRIVSQVE SACRATISSIMAE CAESARAEO REGIAE

APOSTOLICAE MAIESTATIS CONSILIARIO

ACTVALI INTIMO.

PALATINO

KALISCHENSI

SERENISSIMAE REIPVBLICAE

POLONIAE

GENERALI LOCVM TENENTI COLONELLO

INCLITI REGIMINIS PEDESTRIS

NEC NON

NOBILIS EQVITATVS

INSIGNIS ORDINIS

SANCTI ANDREAE

ALEXANDRINEWSKY

S. STANISLAI, AQVILAE ALBAE

ET

MAGNAE CRVCIS

ORDINIS

MELITENSIS EQVITI

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO

Hoc opus cum voto vitae longiſſimae, virium integritatis omnisque felicitatis generis, ſe, ſuosque labores dicat, atque conſecrat

Humillimus Auctor.

LECTORI

SALVTEM.

Licet tot tantique sint Cel. medici, qui erudite succincteque febrem malignam putridam descripserint: tamen, cum obseruationibus accuratis medicis, descriptioneque epidemiarum singularium medicinam ditari, explicari, mecum vnanimi voce confiteantur medici, non vereor singularem constitutionem epi-

demicam contagioſam annorum 1775. 76. 78. et 79. pro virium mearum tenuitate hic deſcribere, orbique medico communicare. Non nouum remedium, neque nouam methodum medendi, quam alii non extuliſſent, inuenies L. B.; nouis enim remediis ſublimique theoria plus obeſſe medicinae, quam prodeſſe, cum Cel. *Baldingero* credo. Quid enim iuuat tantus nouorum remediorum catalogus? Hic remedium aduerſus morbum, quem arte ſcit maiorem aut pertinaciorem omni medicina, reperiſſe ſe ſcribit atque gloriatur; ille id remedium tentat non in vno, ſed in pluribus, et mox eum poenitet factorum tentaminum aegrique nonnunquam amiſſi. Quis ille eſt medicus, qui ſe

ſaepius deceptum nõn doleat? Hodie dum phthiſeos, cancri, calculi, hydropis, taeniae et morborum fere quotidie obuenientium, remedium nos latet, et tamen quanta non de iis proſtant volumina? Quanta non pro ſpecificis ad coelum elata, et multo aere coëmpta? — Vae tyroni medico nimis credulo!

Satius igitur eſt ei methodo inſiſtere eamque pluribus commendare, quam plures doctiſſimi viri ſequuntur, et quam non vnus, ſed centeni aegri comprobant. Nil moror fors rigoroſam cenſuram, cum hoc ſit fatum pluribus, licet praeſtantiſſimis, medicis ineuitabile; non plus volo, quam medico in ſimili epide-

mia

mia conſtituto praecipue tyroni prodeſſe. Quo voto ſi potitus fuero, ſique ſanitatem conceſſerit *Numen* exoptatam, opus de dyſenteria epidemica anni 1775. 76. eos inuadente, quos febris putrida maligna non afflixit, proxime praelo dabo. Vale.

CON-

CONSTITVTIO EPIDEMICA

ANNORVM 1775. 76. 78. 79.

PROLEGOMENA.

Ducatus Bielitzenſis Celſiſſimi Ducis *Auguſti Szulkowsky* in Sileſia ſuperiori ſub ſceptro *Auguſtiſſimae, et Potentiſſimae Domus Auſtriacae* limites agnoſcit Galliciae Regnum, Ducatum Teſchinenſem, et Plesnenſem; tredecim conſtat pagis, vrbeque vna dicta *Bielitzium*; vrbs populoſa, montibus ſat altis vix ad medium milliare diſtantibus partim Galliciae, partim huius Ducatus a tergo munita, collibus vero vndique cincta, ita, vt vndecunque venias, vix hanc vrbem conſpicias, niſi dum iamiam ſuburbia intras, vrbe tamen ſuburbiis altiore loco ſita, aëre ſano non fruitur, praeterquam enim, quod ſitus huius vrbis aërem vndiquaque peruium non habeat, accedit et id, quod Politia in hac vrbe vix vlla ſit, licet Perilluſtris Amicus meus D. *Salice de Comteſſa* indefeſſe eam introducere ſatagat;

innumerae ſunt in hac ciuitate cloacae, praecipue in ſuburbiis iam a procul foetentes, ſordes omnes in plateas eiiciuntur, neque niſi procelloſa pluuia de ciuitate auferuntur, his accedit, quod ciues fere plerique panni textores ſint, qui, vt lanam pro vſibus ſuis adaptent, multo oleo oliuarum rancido indigent, dein praeparatus pannus traditur molae vulgo dictae *Walkmühle*, vbi ille a ſordibus vrina putridiſſima hominis lauatur, eaque per publicas plateas portatur, non ſine transeuntis maximo incommodo, nam adeo volatilis alcalinae naturae eſt, vt clauſis etiam naribus foetor eius te peſſime feriat, et ſyncopen excitare queat: hinc in qualibet fere domo inuenies in loco priuato vas capax vrina putrida repletum; adaptatus, a ſordibus lotus ita pannus forcipi magnae traditus tandem tinctori ad colorandum traditur, omnesque quisquiliae in fluuium dictum *Pialam* ortum a pago *Piſtrai* montano duobus e ciuitate milliaribus diſtante, et in Vistulam ad pagum *Szabſck* ſe exonerantem confluunt; ergo hic fluuius eſt lixiuium omnium latrinarum, et cloacarum, quae in vrbe hac ſe omnes exonerant in hanc aquam perpetuo, et dein, ſi perpendimus, quot myriades librarum materiae ad tingendos pannos, telam, lanam lauandam adhibitae in illam aquam confluant, quam erit mira et confuſa mixtio? alcali volatile, alumen, tartarus, vitriolum, mercurius, isque potiſſimum corroſiuus, pigmenta colorata, liquores venenati integris vndis in hanc aquam de ahenis tinctorum euomuntur. Hanc aquam pecus potat, mirum ne ergo, ſi omni anno epidemia pecora deuaſtet? brevi etiam tota vrbs emoreretur, ni adorandum *Numen* pro-

procelloſis ventis, et pluuiis ciuitatem, et fluuium Pialam a putridis his, et venenatis quisquiliis liberaret.

Adſunt quoque copioſi lacus, copioſis piſcibus referti, inter quos Anguilla, Carpio, Perca, Lucius, Barbus memorandus eſt. Salmones alit Viſtula et *Zola* fluuius rapax Regni Galliciae; adſunt et copioſae terrae ſcaturigines.

Fontes largitur plurimos, vberrimosque Bielitzium, qui ſi in vrbem ope tubulorum (non tamen plumbeorum, vt in nonnullis vrbibus vidi) ad communem vſum conueherentur, hic vere neceſſarii eſſent. Emanet ex his dictus *fons vitae (der Lebensbrunn)* ad Orientem ſitus, optimamque aquam praebet, eſt enim inſipida, limpidiſſima, diuretica, rariſſima, leuiſſima, legumina cito concoquens, in experimentis Chemicis a me ſaepius factis immota perſiſtens; aquae puteales, ſi vnicam excipias in ſuburbio Cracouienſi, impuriſſimae ſunt, puteos enim noſtros per hos quinque annos, quibus hic aegris medeor, necdum depurari vidi.

Aquarum mineralium fontes Ducatus noſter non habet, vno tamen milliari a ciuitate in Teſchinenſi Ducatu in pago *Cſechouiec*, et oppido *Skotſchau* reperire eſt ſulphureos frigidos, quorum efficaciam in Medicina necdum ſatis probatam habeo.

Ergo aëre Bielitzium gaudet inſalubri, vnde non mirum eſt, vt inter cauſas ſynochi putris referam, in hac ciuitate plerumque putridos epidemice et endemice regnare morbos (praecipue vero febrim putridam,

et dyſenteriam omni anni tempore, vltimae deſcriptionem pro futuro reſeruo tempore), venti enim ex cauſis ante dictis non poſſunt atmosphaeram noſtram ex toto coercere, purificareque. Q. D. E.

Hyems anni 1774 rigidiſſima, et ſicca erat, ſubſequens ver anni 1775 inconſtans, pluuioſum, gelidum, aeſtas vero calidiſſima, nocturnum ac matutinum tempus frigidum, autumnus nebuloſus, frigido humidus erat. Hyems ſat placida.

Ver anni 1776 ſimile 1775, aeſtas vero humida, calida, autumnus ſiccus, calidus, hyems initio rigida, nebuloſa, circa Ianuarium vero inconſtans, nunc frigida, nunc tepida, ita, vt ſubin mane gelu eſſet, veſperi vero vernum tempus.

Ver anni 1777 ſerenum, ſiccum, ſaluberrimum, aeſtas calidiſſima quidem, at pluuiis interſperſis temperata. Autumnus initio ſimilis aeſtati, poſtea inconſtans, pluuioſus. Hyems vero rigidiſſima ab hominum memoria, copioſae niues.

Ver anni 1778 hyemem dixiſſes, perſtitit gelu ad 20 Maii, aeſtas calidiſſima, et ſicca, hoc anno menſibus Iunio, Iulio, Auguſto in vaccas ſaeuiit epidemice cholera ſicca; autumnus calidus, pluuioſus; hyems menſibus Novembri, Decembri, et Ianuario vix vlla, gelu enim per diem, aut noctem non diu perſtitit, reliqua autem pars diei, aut noctis, tepida, et pluuioſa illud liquauit, at Februario integro rigidum gelu.

Martio 1779 ver amoenum, ſicciſſimum, calidum, aeſtas huius anni, ſi paucos dies excipias, apud nos

nulla

nulla eſt, nam continuae ſunt pluuiae, et frigida aura a principio menſis Iunii ad 14tam vsque Auguſti, quo vsque obſeruationes meae pergunt. Ex hac breui tempeſtatum deſcriptione patet aërem in hac vrbe, praeter id, quod ab effluuiis putridus reddatur, plerumque et eſſe calidum et humidum, aut frigidum et humidum, vnde non mirum eſt annis 1775. 76. 78. et 79. ſynochum putrim cum diſſolutione humorum tyrannidem exercuiſſe. Quae conſtitutiones, cum et quoad ſymptomata, quoad cauſas, periculum, et medendi methodum ſibi ſimiles fuerint, ſequenti capite a me complectentur.

FEBRIS PVTRIDA MALIGNA SEV SYNOCHVS PVTRIS CVM DISSOLVTIONE HVMORVM.

§. I.

Morbus hic incepit cum laſſitudine, quam aegri dulolationem inſigniuere, et debilitate totius corporis, vnde aegri cardiaca expetierunt; haec ſigna pro pathognomicis febris putridae habet Cel. *Fordyce* *). Acceſſit dein anorexia, dolor frontis, amarities oris (ii, qui ex contagio hunc morbum contraxerunt, mox de foetore putrido, cadaueroſo ex ventriculo aſcendente conqueſti ſunt), vomituritio, vomitus materiae putridae, graueolentis et bilioſae, dolor, ſeu potius ſenſus ponderis grauis ad ſcrobiculum cordis, rigor, iactura virium ſubito ingruens absque procatharſi, frigus et calor ſe mutuo excipientes, frigus tamen in nullo quoad memini vltra horam durauit. Atque haec erat *prima periodus*, prima ſcena morbi huius tragici, quam paulo triſtiora excepere ſymptomata. In hac periodo plures aegri functiones ſuas ſolitas obibant, omnes vero obambulabant.

Secun-

*) On putrid and inflammatory fevers p. 54.

Secunda, tertia, aut ad ſummum quarta die acceſſit febris aucta continua continens, durans ad finem morbi vsque, aegros lecto proſternens; neque tamen tantus erat calor, vt de eo aegri conqueſti fuiſſent, ſolo longiori attactu cognoſcendus, dum enim manus carpo ad pulſum explorandum admouebatur, tangenti digito moleſtus percipiebatur, ſenſim viuidior, et acrior, ac ſi de profundo corporis exurgeret, vt bene annotauit immortalis *Boerhaauius* *) aut, vt clarius me exprimam, quaſi aciculis manus Medici pungeretur, quem ſenſum recte *Galenus fumo feruido mordenti* comparauit **); roſeae genae in omnibus velut pneumonia vera laborantibus non deſerentes corpus, ſed cadauer, facies triſtis inflata, album oculorum rubrum, et quaſi inflammatum, decubitus plerumque in dorſum, nonnunquam et in abdomen, admoniti aegri de alio ſitu, in aliumque conuerſi a miniſtris, mox in priorem relapſi ſunt. Iam prima die huius periodi adeo aegri debiles erant, vt ſe ſolos in lectum recipere non potuerint, ſed ab aliis in illud duci, et poni debuerint, vnde in *ἄκμη* morbi ſaepe ſyncope affecti ab adſtantibus pro mortuis habiti, nonnunquamque veſpilioni traditi fuiſſent, niſi ab artis gnaris erroris admoniti fuiſſent; interrogati de dolore, de calore, de ſiti, etc. ſanos ſe eſſe omnes affirmarunt, ſolam virium iacturam incuſantes, pulſus plerumque naturali ſimilis, in nonnullis iuſto celerior, in aliis debilis, parcus tangebatur, aderat nauſea, vomituritio,

*) Aphor. practic. §. 731.
**) De diſſ. febr. L. I. c. 9. Charter.

vomitus materiae ſupra dictae nec leuans, nec nocens; in plurimis haemorhagia, ſanguis erat floridus, neque concreſcens; nonnullos anxietas moleſtiſſima, fere omnes tuſſis vehementiſſima primis diebus ſicca, dein humida, veſperi exacerbata affligebat; reſpiratio libera, naturalis, in noſocomiis militaribus, in iis, qui coacti martis caſtra ſequi debuerunt, ſuſpirioſa; ſuſurrus aurium, lingua initio mucoſa, glutinoſa, in pauciſſimis ſicca, aſpera, rimoſa, in plurimis ad mortem vsque humida, tumida in ἀκμη morbi aegri efflagitante me, aut chirurgo linguae oſtenſionem, eam non extra dentes exporrigere valebant, interrogati cur non exporrigant? reſponderunt, ſe illam exporrexiſſe; os aphthae fuſcae, liuidae, nigrae occupabant iam quinto, ſexto die. Sitis initio vix vlla aderat, dein vero in progreſſu morbi inextinguibilis, ita, vt ſciam plures octodecim libras, quin et vltra decocti pro potu ordinario aſſumpſiſſe; vrina in principio in paucis turbida cum ſedimento bolo armenae ſimili, laeui, in plurimis craſſa, iumentoſa, auctiore vero morbo naturali in aliis ſimilis, in aliis rubra, ſpumeſcens, ſtrangurioſa, cum nubecula, aut enaeoremate, neque mutata eſt ea, vti fit in aliis morbis acutis, ſed talis perſtitit etiam aegro iam reſanato per plures ſeptimanas; plures iſchuria laborarunt, hi arte adiuti, antequam vrinam reddidiſſent, toto corpore tumebant, praecipue vero femoribus ac pedibus, velut parturientes mox pariturae ſolent; cutis ſudans, colliquans, iam die quarta, ſeptima huius periodi petechiis, aut miliaribus conſperſa, in multis demum poſt mortem apparuere, in nonnullis iam primo

morbi

morbi die, ita, vt quosdam cum petechiis obambulantes viderim, non tamen omnes exanthemata accepere, pauciora vidi in nosocomiis militaribus iis binis *Zivicensi*, et *Pialensi*, quibus Illustrissimus D. Comes Generalis *Methowsky* me praeesse voluit, assistentibus peritissimis Regiminis chirurgis *Delastrata*, et *Prettner*; plura in ciuibus: sed milites cum petechiis fere omnes fatis cessere, pauciores ex ciuibus, ratio ea esse videtur, quod in nosocomiis ob multitudinem aegrorum putridior longe sit aura, ac in cubili, in quo vnus, aut duo decumbunt aegri. Minime petechiae in his epidemiis criticae erant, nam nullum ab iis leuatum vidi, neque in his epidemiis calido regimini tribui possunt, cum methodum antiscepticam et frigidam applicuerim, quin neque vnquam regimini calido ea adscribi posse audacter affirmo propria experientia suffultus, cum rudior plebs se puluinaribus, antequam aduocarer, fere immerserit, quin tamen ex iis, qui ita sese tegebant, vel vnum miliaribus, aut petechiis affectum viderim, vbi tamen ii, qui vix se tegebant, exanthemata accepere, eiusdem mecum sententiae est Cel. *Aaskow* *) et *Percival?* **). Omnes quotquot petechizantes vidi, petechias in pedibus habuere. Denique maxima pars aegrotorum anorexia laborauit, neque nisi coacti ius suum sumpsere, nonnulli quidem cibum oblatum, aut clam subreptum, acceptum auide deuorauere, sed hi omnes delirantes erant; omnes aegri peruigilio tenebantur, et si somnus sequebatur,

*) Societatis Medicae Haunienſis Collectan. Vol. II. p. 87.
**) Philoſ. Med. et experim. Eſſays London 1776. p. 274.

is tantum intermiſſus, et vires haud quaquam reficiens erat: vidi aegros a morbi principio ad finem vsque neque per quadrantem horae dormiuiſſe. Plurimis vermes per os, et per anum abiere viui, vel mortui; nonnullis abdomen durum, inflatum tangebatur, aliis molle; alii ſimul ſcirrho hepatis, aut lienis laborauere, his acceſſit icterus iam ſeptimo, vndecimo die morbum exaſperans, totum corpus ſaturate croceum erat, neque tamen vel in vno icterico vidi vrinam croceo colore tinctam, aut foeces alui albas, cutis vero aridiſſima erat. Et haec erat *altera periodus* atrocis morbi huius.

His ſymptomatibus acceſſit die vndecima (quam *tertiam periodum* inſignio) in nonnullis delirium (dico in nonnullis, fuere enim aliqui, licet pauci, qui ad mortem vsque, aut ſanitatem integra mente conſtiterint) cum pulſu celeri, paruo, oculis ferocibus, hi e lecto proſiliebant, et, non impediti, per plateas currebant; in aliis acceſſit coma agrypnodes, hi incurii, indifferentes, deſperabundi de valetudine recuperanda, profundis quaſi cogitationibus inuoluti iacebant, ad interrogata vix reſponderunt; dein ſurditas, ſtoccorum collectio, muſcarum venatio, ſubſultus tendinum, inſcia faecum aluinarum, et vrinae in lectum dimiſſio, bubones in inguinibus, et axillis, carbunculi, anthraces in dorſo, brachiis, femoribus, ſcorbutus putridus, conuulſiones, ſingultus fere continuus, duplicatus, triplicatus, aluus frequens colliquatiua, aluo egerebant materiam nigram, viridem, putridiſſimam, ſpumoſam, ſat copioſam, nonnunquam cum lumbricis,

bricis, abdomen tympaniticum, diſtendebantur enim inteſtina a multo aëre, quem putrida faex dimittebat; aderant ſimul ſudores colliquatiui, pingues, frigidi in extremitatibus, borborygmi maximi in abdomine, iſchuria pertinax, pulſus vacillans, intermittens, in nonnullis tam exilis et celer, vt tactum fere effugerit, hypochondriorum aeſtus, tumor, extrema gelida, frons, facies calidiſſima, hippocratica, foetor cadauerosus, aegrum vita priuauere.

Lethalia haec ſymptomata non vltra vnum, aut ſummum duos durauere dies.

Poſt mortem color flauus ſenſim augebatur, petechiae liuidae tam magnitudine, quam numero increſcebant, aut defunctis ſine iis mox poſt mortem conſpicuae factae, abdomen magis inflatum, foetor intolerabilis, ſanguis ex naribus, et ore prorumpebat, cadauer per 6-8 horas calebat. Haec impediebant, quo minus vel vnum cultro anatomico ſubiicere valuerimus absque periculo contagii.

Durauit morbus hic ad 21mam, aut (idque in pauciſſimis) ad 28mam diem vsque, qua aut ſanitas, aut mors ſequebatur. Plurimi periere die 11. 17. 21. Recidiuas plurimi paſſi ſunt, easque ſaepe quater, quinquies, ſemper periculoſiores morbo priori, ob debilitatas vires vitae per morbum primarium, praecipue ii, qui aegrorum curam habuere, aut qui iis inſeruiebant, vel incautius morbo ſuperato ſe aëri exposuerunt, aut citius e lecto ſurrexerunt, aut in diaeta deliquerunt.

Saeuiit

Saeuiit vero morbus hic epidemice Annis 1775. 76. maxime vero 1778. et 79. incepit 1778. initio menſis Auguſti, et durauit ad vsque initium Iunii 1779. in ciuitate, quousque meae obſeruationes pergunt. Sporadice hinc inde adhuc obſeruatur, at multo mitior, in noſocomio vero *Zivizenſi* ad 16. vsque Auguſti durauit, derelicta arce, quae pro noſocomio inſeruiebat.

§. II.

Ex hac accurata morbi huius hiſtoria patet eum *Synochum putrim anabaticam cum diſſolutione humorum fuiſſe*, cum vero eum ſymptomata inſueta, longeque ſolito grauiora, numeroſioraque comitata fuerint, iure eum quoque *malignum* appello cum Magn. *de Haen*)*, ergo *Synochus putris maligna anabatica.* Sed et *epidemicus* erat, pauci enim milites ex Inclito Regimine *Nugent* immunes ab hoc morbo manſere, et ad ſexcentos e medio ſublati, in ciuitate integrae familiae lecto adfixae fuere, ita, vt alter alteri opem ferre non potuerit. Non memini me ex tanto numero aegrotantium ciuium, vel vnum perdidiſſe, ad quem mox in principio morbi aduocatus eram, neglecto enim, aut peruerſe tractato morbo nonniſi ardua medela erat, rationem huius differentiae, quilibet ex cauſis huius morbi perſpiciet. *Contagioſus* quoque erat, ſiquidem homines, qui aegris famulabantur, aut cum illis proxime viuebant, infecti fuerint fere plerique, nec ipſis chirurgis immunibus; plures vulne-

*) Ration. medendi P. III. p. 4. et Ration. medendi contin. P. I. p. 12.

vulnerati, febre intermittente, aut alio morbo chronico laborantes delati ad nosocomium, et in lectum positi, ex quo anteceſſor aut reconualuit, aut mortuus est; plures, quod lectos aegrorum strauerint; plures, quod faeces aluinas exportauerint; plures, quod aegros lauauerint; plures lotrices a vestibus, linteis, lotis; plures cadauer attingentes, infecti sunt; licet sint plures Medici, qui velint, cadauer non posse inficere alium, vt hic perplures casus infectorum hoc morbo, qui nullum cum aegrotis commercium habuere, a solo aspectu cadaueris, aut eius contrectatione; ex pluribus exemplo esse potest consors mea, quae cadauer foeminae hoc morbo defunctae videns, adeo exhorruit, vt iam sequenti die morbo hoc prosterneretur, aegreque ex eodem euasit.

Neque vero ex eo, quod plures aegrorum ministri adstantes, quin ipse continuo inter tot, tantosque commorans aegros, opitulante *Numine* immunis manserim hoc morbo, valet conclusio, hunc morbum contagiosum non fuisse; nam quoties non inoculatio variolarum variolas non produxit? quoties non veneris miles a venerea muliere infectus non est? quoties non a peste plures immunes manere? quot non a dysenteria epidemice grassante? quot non a scabie? quis vero omnibus his morbis contagium denegabit? ergo ne bene Medicus quidam celebris in simili epidemia putrida maligna annis 1772. 73. in Hungaria grassante illam a contagio immunem pronuntiauit?

An

An vero rectius *Peſtis* inſigniri poſſet morbus hic? certe ſi Cel. *Ludwigius* *) febrim putridam, quae annis 1757. 58. Lipſiae epidemice graſſabatur, inſignire potuit *febrim peſtilentialem*, hic maiori iure *febris peſtilentialis* dici poterit. Aderant enim bubones, carbunculiet anthraces, non quidem in omnibus, in viginti tamen et amplius aegris, quibus peſtis definiri ſolet.

§. III.

Cauſa proxima epidemiarum, quae ſit, me cum aliis Cel. Medicis neſcire profiteor.

Huius morbi erat *Contagium*, quod ſanguinem, et humores inde prodeuntes in diatheſim putridam diſpoſuit, viresque vitales ſubito proſtrauit, quod vel odore a faecibus aegri foetidiſſimis, vel inſpiratione, vel perſpiratione ſuſcipiebatur. Contagium enim non tantum humores mutat, ſed et validiſſimam febrim producit. Febris enim enaſcitur, cum circulatio ſanguinis praeternaturaliter augetur, adeoque cor vaſaque ſaepius et fortius contrahuntur, cum itaque contagium cor, et arterias exerceat, illud eſſe ſtimulum licet abſconditum tamen vehementem, et per excitatum circulum cruoris auctiorem, vehementiorem quoque, et vitae hominis magis infeſtam reddi, experientia quotidiana teſtis eſt **).

§. IV.

*) Aduerſar. Med. practic. Vol. I. p. 36.

**) *van Swieten* Commentar. in Aphor. *Boerhaauii* T. I. P. 141.

§. IV.

Cauſas proegumenas determinare non valeo, cum diſpoſitio ad malignitatem ſuſcipiendam non tantum in ſolidis, ſed intima potiſſimum humorum mixtione poſita ſit. Interim ſufficiat ſcire, infantes aeque ac adultos, ſenes, pauperes, diuites, lauta et macra diaeta vtentes, ſcabioſos quoque hoc morbo laboraſſe, ſoli ii immunes manſere, qui vlcera habuere antiqua, hinc boni erant infirmarii gonorrhoea laborantes, vnius tamen militis gonorrhoea virulenta laborantis memini, qui in noſocomio hunc morbum contraxit, toto morbi tempore (21 die nempe) ex integro ſuppreſſa fuerat gonorrhoea, rediens aegro melius valere incipiente.

§. V.

Cauſae procatharcticae ſunt *quaecunque humores ad putredinem diſponunt;* petuntur eae ex vitiis commiſſis in ſex rebus non naturalibus, ex quibus has potiſſimum huic febri, eiusque recidiuae producendae fauere me repetita obſeruatio docuit, adeoque ex

Ingeſtis

1mo *Aër humidus, tepidus, et quiete putridus quaſi redditus:* talis enim aër corpora ad laxitatem diſponit, et impedimenta liberae perſpirationis inducit, vnde acres in corpore retinentur particulae; talem aërem in noſtra atmosphaera obtinere ex prolegomenis elucet.

Huc refertur *aër particulis putridis refertus*

a) *In Cubili,* quod aër recens non permeat. Aërem purum, recentem, vnice ſanitati noſtrae condu-

conducere Pathologia docet: etenim illi homines, qui plures in cubili vno habitant, ſunt pallidi, tumiduli, et infirmi, quia aër exhalationibus hominum eſt inquinatus, et elaſticitatem ſuam, qua pulmones diſtendit, amiſit. Quantum non attonitus haeſi, dum in Galliciam, Poloniamque proficiſcens vidi 8-12 homines in vno cubili habitantes vna cum ſuibus et vaccis, quantus in iis foetor, inexpertus vix credet; talem aërem morbis epidemicis producendis fauere, teſtis eſt experientia, anno enim 1775. in vicinis pagis Regni Galliciae adeo ſaeuiit febris putrida inter ruſticos, vt paucae liberae manſerint caſae.

Ex iis, quae in prolegomenis de panni-textoribus dixi, elucet, cubilia ciuium noſtrorum non ſatis libero puroque frui aëre; his accedit, quod ciues noſtri feneſtras, ob metum lanae corrumpendae, aperire nolint, vnde mandato militari cogi debuerunt, vt quotidie mane (hyeme etiam) et veſperi feneſtras per horam ad minimum aperuerint.

b) In *Noſocomiis;* haec quantum humano generi ſalutaria, tantum etiam pernicioſa eſſe, pulchre demonſtrauit Cel. *Aikin* *). Milites poſt longum taedioſumque iter initio menſis Nouembris anni 1778. hanc in vrbem aduenientes mox a ciuibus (in quos iam ab Auguſto haec epidemia

*) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte 3 Band 2 Stück 207. Seite*

mia saeuiit) infecti, in antiquum Nosocomium militare, ex quo ante 16 annos ingens numerus militum, bini medici, tres chirurgi, plures ministri diuini febre putrida periere, ablegati sunt, at cum illud nimis angustum foret, in locoque aëre non peruio positum esset, *Pialam* proxima nostrae ciuitatem in Gallicia translatum est: cum vero numerus aegrotorum quotidie augeretur, aliud erectum est *Zivicii* binis milliaribus a priore distante in eodem regno, ita vt *Zivicii* magnum esset Nosocomium, in quo 300. 400. et amplius aegri ducumberent, in *Pialensi* vero numerus constans 70. Tertium itidem erat *Pialae* Incliti Regiminis Equestris *Modena*; quartum in pago *Grodius*. In omnibus his nosocomiis erant aegri febre hacce affecti; quintum erat in pago *Ludwigsdorff* pro scabiosis; sextum in nostra ciuitate pro reconualescentibus. Triste videre erat, aegros ex vno Nosocomio in aliud transportari per iter lapideum, et rigida nonnunquam tempestate, aut quod plerumque accidit humida, vnde factum, vt nonnulli in via animam efflauerint. In Nosocomiis in vno cubili, quod 30 pedes longum, latum 19. erat, 20 imo et plures decubuere aegri, iique in vno lecto bini: factum tamen, me postulante, vt quilibet proprium haberet lectum, non tamen imminuto numero aegrorum in cubili, mortuo enim vno, mox alter eius locum occupauit. Quantus non foetor spargi debuit per tale cubile, in quo tot tantique iacuere, qui aut excrementa in lectum

depoſuere, aut ob debilitatem ſummam in patinam ſuppoſitam: mors vicini animos deiecit, eandem ſortem metuentes et expectantes. His omnibus obuiam iturus nominatus Illuſtriſſimus Generalis ipſe ſaepius de propria non metuens ſanitate, Noſocomia adiuit, nihilque intentatum reliquit, vt deiectos, et fere deſperatos militum animos erigeret, quin reconualeſcentes ex hoc morbo ob metum recidiuae, in quam ſocios viderunt lapſos, de vita deſperarunt. Neque defuit munificentia, et vere paternus amor *Auguſtiſſimi Imperatoris* noſtri, iterata enim erant mandata, vt quidquid tam quoad medicamenta, quam quoad victum eſſet, praeſto ſemper foret: at belli turbae, hoſtis propinquitas, pluresque circumſtantiae non emendandae, non ſiuere plura noſocomia erigere: vnde non mirum ab initio menſis Nouembris anni 1778. ad 16. vsque Auguſti anni 79. ſexcentos milites mundum hunc dereliquiſſe. Mirumne ergo ſi noſocomium adeo formident milites? fors plures ſervati fuiſſent, ſi ad Noſocomia delati non fuiſſent, aut ſaltem, ſi plura erigi potuiſſent et cuique Medicus praefixus fuiſſet; nam impoſſibile eſt, vt vnus officio ſuo debite fungi poſſit in tanto numero aegrorum.

2do. *Aër nocturnus frigidus calida praegreſſa die* multum ad hunc morbum producendum contulit tam in ciuibus, quam militibus noſtris. Frigus enim perſpirationem inhibet, vnde partes humo-

humorum acriores in corpore retinentur, quae aliter per poros cutis extruderentur. Milites in caſtris morantes, perpetuis excubiis, exercitiis calida die expoſiti, noctu ſomnùm in humo cepere, noctes vero pleraeque, vt officiales retulere in autumno fuere frigidae, qualem conſtitutionem aëris in noſtra ciuitate in prolegomenis obtinuiſſe dixi.

3tio. *Exercitium et corporis motus ſub aeſtuante ſole immodicum*; hoc enim humores oleoſos in cellulis ſtagnantes eliquat, et in maſſam circulantem rapit, vnde plethora oleoſa peſſima inducitur, augmentum natiui caloris enorme accenditur, iactura humorum tenuiorum promovetur, et indoles inflammatoria ſero, et parti ſanguinis fibroſae conciliatur. Humores ergo adeo exagitati, rarefacti, et immani impetu propulſi, vaſa iisdem aliena ſubeunt, diſtrahunt, et haud raro disrumpunt, vnde *errores loci, dolor, inflammatio, febris acuta, gangraena, ſuppuratio, haemorrhagia, aut vitalibus viſceribus ſanguine accumulato obrutis ſuffocatio, et mors ſubitanea*, teſte Cel. *Gaubio* *). Milites ſirio vrente, vrgente hoſte, aut alia cauſa ſaepius proficiſci debuerunt, idque plura milliaria per diem conficiendo, vnde nunc dicta mala.

4to. *Carnium iurium abuſus* recidiuis quam maxime fauit. Vix credibile eſt, quanta appetentia

 recon-

*) Pathologiae Sect. 509.

reconualeſcentes affecti fuerint: nihil minis, nihil poſitis excubiis, nihil ſedula lectorum quotidiana peruestigatione, nihil perſuaſionibus obtinere potuimus, vt bulimum hunc viriliter tolerarent, plures flexis genibus me exorarunt, vt appetentiae eorum indulgerem, reluctantibus nobis amici, amicae adſtitere, clamque iis carnes, panem, caſeum, butyrum attulere falſis excubiis, ii qui carnes metuebant manducare integros cyathos iuris aſſumpſerunt, vnde a ventriculo, debili per morbum reddito, haec digeri non potuerunt, abierunt ergo ſuam in naturam putreſcentem; atque ſic coaceruatae ſunt in infimo ventre impuritates putridae, quae reſorptae in maſſam ſanguineam denuo hunc morbum accenderunt. Sic ipſi ſibi tumulum praeparauere non deterriti tot quotidianis triſtibus exemplis. Ciues ab amicis ſedulo cuſtodiebantur, neque vnius recidiua affecti laetus recordor.

Morbum hunc a ſordibus putridis in infimo ventre reſidentibus enaſci poſſe, praeter alios demonſtrauit *Bagliuius* *) *Burchardi* **) *Heiſterus* ***) *van Swieten* †) exemplo rem clare demonſtrate deſumpto a mytulo venenato. Quod autem praecipue circa viſcera, quae in infimo ventre reconduntur, poſſit tanta generari humo-

rum

*) Operum p. 51. et 388.
**) In Diſſertatione de Febribus meſentericis acutis.
***) Compend. Medicin. practic. p. 78.
†) Commentar. Tom. II. p. 399.

rum corruptio, vt ad putredinem deuenientes febrim generent peſtilentem, nulli admirandum videatur, cum hoc in loco praecipua ſit ſentina et colluuies omnium humorum excrementorumque, ita *Petrus Salius Diuerſius*)*.

5to. *Vermes* in inteſtinis mortui haerentes, vel mucum inteſtinalem putredinoſa labe inquinant, vel impura, corrupta in inteſtinis iam haerentia augent, vnde morbi huius cauſam eſſe poſſe, docent Practici.

6to. Annon et *bilis* maiori quantitate ad ventriculum et inteſtina delata, ibidemque coaceruata morbum hunc generauit? certe docent, hanc febris putridae cauſam eſſe ſaepe, tam antiqui, quam recentiores Medici. Vidimus in hac epidemia plures a vehementi ira praegreſſa, nullum cum aegrotis commeercium habentes, morbum hunc incurriſſe, quique bilioſa vomitu eiiciebant.

7mo. *Aquae putreſcentes* teſtibus *Hippocrate **)*, *Galeno ***)*, *Mead †)*. Teſtatur Cel. *Pringle ††)* exercitum in campis paludoſis morantem mox febres putridas, dyſenterias, aliosque morbos putridos inuaſiſſe. Cel. *Schaw* refert aquas pluuiales ſtagnantes in planitie Algierienſi *Maiamah* febres, aliosque morbos putridos producere, an, quod

*) In tractatu de febre peſtilente p. 56.
**) De aëre, aquis et locis. et Sect. 3. aph. 21.
***) Methodo medendi L. II. c. 8.
†) De Peſte Cap. I.
††) *Beobachtungen von den Krankheiten einer Armee*

aëris fixi expendium promoueat? quem praecipuum esse vinculum tam solidorum, quam fluidorum vult *Macbride*.

8uo. *Nimia potatio liquorum spirituosorum*, quatenus calorem corporis auget, et speciem quandam febris accendit. Multi, ne in hunc morbum inciderent, spiritum vini ad crapulam vsque potarunt quotidie, alii in morbi prima periodo vt vires vitae erigerent, verum pessimo cum successu, sequenti enim die iam ad Nosocomium delati sunt.

9no. *Pocula frigida* aestuante corpore temere assumpta multos hoc morbo prostrarunt, in plurimis vero recidiuam produxerunt. Multi Medici, iique Celeberrimi in hac febre exposcentibus aegris potum gelidum concedunt, at omnes, quibus eum indulsi, aut clam biberunt exigua licet copia, iam tellus consumpsit, enata enim mox angina Kynanche, nulli remedio cedens, aegro funesta erat.

10mo. *Oleosorum ciborum vsus*. Mos obtinuit in Polonia, vt diebus mercurii, veneris, et sabbathi loco butyri oleo cibos praeparent, plerumque id rancidum est, vnde rancidam acrimoniam excitari necesse est. Milites Poloni clam sibi cibos hoc oleo praepararunt, aut dum valetudine quapiam affecti sunt, mox oleum assumpserunt, ergone mirum, si omnes fere Poloni milites hac febre decubuerunt?

Ex

Ex Geſtis

Animi affectus, praeprimis *triſtitia*, *timor*, *terror*; in his enim perſpiratio ſemper minuitur, vt *Sanctorius* ab experimentis docet *), et quando perſpiratio minuitur, partes putreſcentes, acres in corpore retinentur, et febrim accendunt: his accedit, quod neruoſa vis a tali animi affectu relaxetur.

Ex Retentis

1mo. *Retentum perſpirabile* quod putreſcentis indolis eſt, et ad inteſtina plerumque refluens, quodque ex hactenus dictis intelligitur.

2do. *Retropulſa ſcabies.* Plurimi milites noſtram in ciuitatem aduenientes ſcabie humida laborarunt, hi omnem medelam medicam ſpernentes ſolo vnguento contra ſcabiem ſibi eam in maſſam humorum repreſſerunt, vnde retentum acre atque in maſſam ſanguineam delatum, febrim accendit putridam.

Ex Applicatis externis.

Contagium, quod per veſtes, ſudorem, aluum, lectum, aërem expiratum propagari docuit experientia.

Sunt et aliae cauſae febris putridae, velut *penuria annonae*, *retenta aluus*, *relicta placenta in utero* **) *ſuppreſſi menſes*, *haemorrhoides*, *lochia*,

*) Medicin. ſtation. ſect. 7. 98.

**) Teſte Cel. *Gerſon* in Collectaneis Societatis Medicae Havnienſis Vol. II. p. 204.

chia, *vrina*, *vlcera etc.* in noſtra tamen epidemia non obſeruatae.

§. VI.

Species huius morbi ſequentes ſtatui poſſe, ex hiſtoria eius patet:

1ma. *Synochus putris maligna ſine exanthematibus*, praecipue in Noſocomiis.

2da. *Synochus putris maligna exanthematica*; aderat plerumque purpura alba, aut petechiae, nonnunquam in vno eodemque ſubiecto vtraque praeſto vidi, non vehementiori reddito morbo. Accidit quoque, vt petechiae miliaria euanida exceperint, aut euanidas petechias miliaria.

3tia. *Complicata* cum bubonibus, carbunculis, anthracibus, adeoque *Peſtilentialis*.

4ta. *Sine his* in plerisque, qualis paſſim ab Authoribus deſcribitur.

5ta. *Cum ſpiſſitudine aliquali ſanguinis phlogiſtica* in principio, ſeu prima periodo, in paucis animaduerſa. Recte annotauit Cel. *Quarin* *), occurrere febres putridas, quibus inflammatorii quid iunctum eſt, quod ex pulſu duriori, facie magis rubra, et venis plus inflatis cognoſcitur. Obſeruabatur in ſanguineis, laute admodum paſtis, potatoribus, aut iis, qui ad vires vitae erigendas, aut contagium, epidemiam effugiendam

*) Methodus medendarum febrium p. 39.

dam potum ſpirituoſum aſſumpſerunt. Nunquam tamen morbo adulto hanc ſpiſſitudinem phlogiſticam ſanguinis obſeruaui, vt nonnulli ſe obſeruaſſe ſcribunt.

§. VII.

Prognoſis ſane, ſi vllius morbi, certe huius epidemiae, incerta et infida erat, ita, vt quod *Iohannes Morellus* de Peſte effatus eſt *), id ipſum de hac epidemia dicere auſim. Factum eſt in hac epidemia, vt me ſenſus, ratio fefellerit, fefellerint *Hippocratis* aphorismi (vt ex infra dicendis patebit), quatenus nec mutationes criticae, nec vrina, et pulſus laudabilis aliquid certi promiſerint, nec ſymptomata mitia, aut alias lethalia ſemper bonum, vel malum euentum ſortita fuerint; vere hic morbus ille erat, de quo dixit *Hippocrates: pulſu bono, vrina bona aeger tamen moritur*, et e contra peſſimis praeſentibus ſymptomatibus aeger tamen eluctatus eſt, dummodo nihil in arte intentatum maneret.

Ex ſequentibus tamen, non vno, ſed pluribus exitium, vel ſalus vaticinari poterat:

1mo. Dixit Immortalis *Boerhaauius* **): Synochum putrim epacmaſticam peſſimam eſſe, talem vero morbum noſtrum fuiſſe, dixi paragrapho ſecunda.

2do. Neminem, qui ſponte curatus ſit, aut ſcio, aut audiui, ſed omnes ſibi relicti, aut alia methodo tractati, occubuerunt.

*) De febre peſtilentiali Cap. 5.
**) Aphor. practic. §. 733.

3tio. Quo diutius frigus in prima periodo detinuit aegrum, eo grauior, et periculosior morbus praesagiebatur.

4to. Robusti, sanguinei grauius decubuerunt, quam molles et debiles, ob maiorem procliuitatem humorum in putredinem.

5to. Grauidae quotquot hoc morbo laborarunt, omnes abortum passae, et vespilioni traditae sunt. Vnde recte dixit *Hippocrates* *): *Quae gestantes vtero febribus corripiuntur — eae difficulter, et cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.*

Idem fatum habuerun puerperae.

6to. Infantes, siue ii fuerint lactantes, siue non, grauiter hoc morbo decubuerunt, et proportio seruatorum ad mortuos fuit vt 1: 100.

7mo. Pulsus quo debilior, frequentior, inaequalior robore, inordinatior tempore, eo peius erat. Id ipsum dixit *Boerhaave* **); significat enim ingens periculum, tanto vrgentius quidem, quanto plures pulsationes intermittuntur; languet enim cordis motus, et actio neruorum.

8uo. Nullum seruatum memini cum voce clangosa, subrauca, acuta.

9no

*) Sect. 5ta Aph. 55.

**) L. c. §. 734.

9no. Luctuoſa et gemebunda reſpiratio in progreſſu morbi cum aliis malis ſymptomatibus (niſi in neo militibus animaduerteretur) peſſima erat; de ea enim iam *Hippocrates* dixit*): *in morbis acutis cum febre luctuoſa ſuſpiria mala.*

10mo. Reſpiratio ſtertoroſa (niſi ex conſuetudine talis eſſet) biduo, triduoue mortem praeceſſit. Deſignat enim vaſa ſanguinea pulmonum ita infarcta eſſe, vt vaſa aërea a ſanguineis preſſa elidantur; *at accurate*, vt monet *Proſper Alpinus* **), *diſtinguendum quo tempore accidat, an in augmento? in principio morbi? In augmento enim funeſta eſt, minime in principio.*

11mo. Mala erat tanta virium iactura, vt lipothymia ſequeretur. Idem annotauit *Hippocrates* ***), vires enim vitales neceſſariae ſunt ad felicem artis victoriam.

12mo. Decubitus in dorſum, in ventrem, in noſtro morbo delirium non praeſagiebat; alias fere omnes delirare debuiſſent, quod tamen obſervare non erat.

13tio. Subita manus retractio, dum pulſus explorabatur, mala erat. Interrogati aegri, cur manum retrahant? ſe neſcire reſponderunt. Haec deſignabat, ſenſorium commune affici, et plerumque delirium praeſagiebat.

14to

*) Sect. 6ta Aph. 54.
**) Libro de praeſagienda vita et morte.
***) Coac. praenot. numero 56.

14to. Delirium ferox non adeo malum erat; e civibus enim in hoc morbo delirantibus ne vnicum vidi periisse, e contra sancte asseuerare possum, periculosius eos decubuisse, qui non delirarunt.

15to. Subitanea resipiscentia mortem foris pulsare innuit.

16to. Sudor, quo citius erupit, eo peior erat; nam non solum vires vitae alioquin debiles, plus eneruauit, sed et colliquatiuus erat, et certam recidiuam praesagiebat.

17mo. Pessimi erant sudores frigidi, viscidi, fuliginosi (nisi ex lipothymia essent) qui in facie, manibus ac pedibus exprimebantur. Confirmat hoc *Hippocrates* dicens *): *frigidi sudores cum febre aucta mortem significant.* Indicabant enim tales sudores vim cordis prorsus extinctam, et vasa exhalantia relaxata esse.

18uo. Oculorum flauedo quo citius sese prodidit, eo periculosior morbus.

19no. Multi, vt Cel. *Quarin* **), icterum febri putridae accedentem nec pro bono, nec pro malo signo habent: at ex 200 et pluribus, qui eo afflicti fuerunt, vix vnum seruatum confiteor. Idem erat periculum, siue quis mollia haberet hypochondria, aut scirrhosum lienem vel hepar: vnde patet, fefelliſſe in nostra epidemia *Hippocratis*

*) Sect. 4ta Aph. 37.
**) L. c. p. 42.

cratis aphorismum*): *Quibus per febres morbus regius die 7mo, aut 9no, aut 11mo, aut 14to ſuperuenerit bonum.* Et certe nemini hoc mirum videbitur, qui ſepticam et reſoluentem vim bilis probe perpenderit.

20mo. Vehemens in hac febre aeſtus ad ventriculum cum ſingultu peſſimus erat. Idem annotauit *Hippocrates***) dicens: *in febribus circa ventriculum vehemens aeſtus, et ſtomachi morſus malum.* Et alibi dicit***): *et qua parte corporis ineſt calor, aut frigus, ibi morbus.* Hic enim denotat gaſtritidem.

21mo Surditas die 14ta vel 15ta, vel tardius accedens; bona expectare indicabat, citius accedens mala. Interim tamen ſcio, plures die 14ta, vel 15ta ſurdos factos, die 17ma aut 21ma occubuiſſe.

22do. Tumor totius corporis ab iſchuria nihil mali portendebat, licet velint Cel. Medici peſſimi ominis eſſe illum in febrium auctorum decurſu, niſi criticas euacuationes praecedat, aut ſequatur, quod plerumque deſignet materiem morbi caput petere, et ibi turbare liquidi neruei aequabilem motum in medulla cerebri.

23tio. E contra tumor totius corporis cum ſubſultibus tendinum, bubonibus, carbunculis, aut anthra-

*) Section. 4. 64.
**) Sect. 4ta Aph. 65.
***) Sect. 4ta Aph. 39.

anthracibus, conuulsiones lethales, et mortem certam prognosticabant.

24to. Ischuria vltra nycthemerum durans cathetere non vincibilis, lethalis.

25to Extremorum algor, deglutitio laesa, singultus fere continuus, arte nostra maiora erant.

26to. Dixit quidem *Boerhaave**): *vbi somnus difficilis, et malecedens, pustulae purpureae vel liuidae corpus deturpant, hypochondria tensa et inflata sunt, fere moritur aeger.* At iam in secunda periodo morbi nostri aegri his symptomatibus laborarunt, vnde omnes mori debuissent; testor tamen praecipue in ciuibus, ad quos mox in principio aduocatus eram, artem nostram tam grauem et periculosum morbum feliciter debellasse.

27mo. Dixit *Hippocrates***): *vrinae, quae minguntur a non recordantibus nec commonefactis, pernicioſae sunt:* quia denotant sensorium commune affici. At in hac epidemia nec malum, nec bonum praesagiebant; nam fere omnes, praecipue in nosocomiis, iam secunda morbi periodo, aluum et vrinam inscie in lectum dimiserunt: causam esse credo relaxatos, et quasi paralyticos redditos sphincteres per vim morbi.

28uo. Coma cum frigore extremorum et stertore ore hiante, lethale erat.

29no

*) Aphor. practic. §. 735.
**) Praedictionum Libro 1mo, articulo 29no.

29no. Deiectiones frequentes foetidae, ichoroſae, ſpumoſae, cum vel ſine lumbricis, ventre ſimul tumente, id eſt, dum ſimul aderat tympanites abdominalis, exitioſae erant; deſignant enim ſummam eſſe fomitis putredinem et viſcerum debilitatem.

30mo. Aphthae fuſcae, liuidi coloris, nigrae, apparentes iam quinto, ſexto die periculoſae erant, quia natae ſunt ante ſubactionem materiae morboſae*). Cinereae, et nigrae lethales erant, licet Illuſt. L. B. *van Swieten* nigras vix vnquam prodire dicat, niſi mora tales fiant**): tamen in hoc morbo nigras ſtatim prodire ſaepius obſeruaui. Erant illae plerumque confluentes, et cum ſcorbuto putrido oris, ſeu ſtomacace nullo remedio vincibili; oriebantur enim ab vniuerſa maſſa humorum corrupta, adeo tales aegri foetebant, vt ab aliis ſegregari debuerint, et ipſe foetori quodammodo aſſuetus, hunc tamen peculiarem tolerare nequiuerim.

31mo. Peſſimum erat ſignum, ſi petechiae, aut miliaria profundius ſub cute haeſerunt, nam ſigno erant, naturam adeo debilem eſſe, vt eas expellere non potis fuerit.

32do. Quo minores petechiae, eo benigniores, et contra quo maiores, eo maligniores, quo tandem copioſiores, eo peiores erant.

33tio

*) Illuſt. L. B. *van Swieten* L. c. Tom. III. p. 203.
**) L. c. p. 206.

33tio. Dixit Illuſt. L. B. *van Swieten**): maculas purpureas eſſe fere lethales; plures cum talibus me ſeruaſſe laetus recordor.

34to. Retrocedentes petechiae, aut miliaria ſine ſubſequente euacuatione critica, metum faciebant aegri amittendi.

35to. Miliaria ad petechias accedentia, aut has excipientia nihil in morbo noſtro mutarunt.

36to. Bubones, carbunculi, anthraces ſemper lethalia erant ſymptomata.

37mo. Stigmata rubra in facie, aut naſo apparentia, certiſſima mortis ſigna erant. Idem in peſte Londinenſi obſeruauit Cel. *Hodges***).

38mo. Ii, qui morituri erant, iam ante 8-10 dies cadauer foetebant.

39no. Peſſimi erant dies 11ma, 17ma, 21ma.

4omo. Bonum omen praebebat rediens appetitus aegro ſana mente conſtante.

§. VIII.

Duplex hoc in morbo medela indicabatur, alia *prophylactica*, alia *curatoria*.

Prophylactica fuere omnia illa, quaecumque puritatem aëris conſeruarunt, putredinem bilis, humorumque impediuerunt, transpirationem auxerunt, digeſtionem bonam conſeruarunt, omnesque excretiones promouerunt. Ergo

11mo

*) L. c. Tom. II. p. 402.
**) P. 144. 145.

1mo. *Aëris puritati*, quantum circumſtantiae dictae*) admiſerunt, adlaborandum erat, ne ii quoque, qui aut aegris famulabantur, aut opem ferebant, lecto affigerentur; ea propter ventilatore noſocomia inſtructa, quotidie pauimenta conſperſa *aqua ſalita*, quod frigidior ſit dulci, et antiſeptica ad mentem Cel. *Bang* **); feneſtrae, portae admittente aëre externo apertae, et ad aërem antiſepticum reddendum ſaepius per diem et noctem chalybs candens, aut lateres candentes *aceto vini, in quo camphora diſſoluta*, extincti: huius vaporem aegri omnes perferre potuerunt, fuere enim nonnulli, qui adeo laudatum fumum nicotianae tolerare non valuerunt, hinc prius auxilium poſteriori praetuli. Haec in noſocomiis, et pauperum domibus.

Apud ditiores experiri volui, quid *aër fixus* in putridis morbis tantis encomiis ab Anglis elatus praeſtiturus ſit? Credidit Cel. *Rotheram* ***) maioris eſſe efficaciae aërem fixum, ſi pulmonibus attractus immediate ſanguini miſceatur, cui et propria aſſentiebatur experientia. Vult ille hunc extricatum ore immediate hauriendum; ſufficere mihi videbatur, ſi aërem cubilis impraegnarem aëre fixo, ſicque ab aegris, aut ſanis ſcopo prophylactico ſuſciperetur. Hunc in

finem

*) §. V. numero I.
**) Collectan. Societ. Med. Hav. Vol. I. p. 189.
***) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte 3 Band, Seite 690.*

finem ſuaſi repleri vas terreum ventris lati et colli anguſti librarum octo ad medietatem ſolutione cretae in aqua fontana, cui mane, et veſperi inſtillaretur vncia vna olei vitrioli: amoenus ſic et aegris, et adſtantibus proliciebatur vapor, et plures a contagio immunes manſiſſe nullo alio prophylactico vtentes teſtor, licet et amicos aegros viſitaſſent, aut ipſi aegris famularentur.

Praeter haec in noſocomiis mane, et veſperi per horam ignis in fornace patula, vulgo dicta *Kamin*, intertenebatur, et in aula rogus accendebatur, non deterritus multorum opinione, talem ignem elaſticitatem aëris plus deſtruere, et magis euulgare contagium, hos enim refutavit praeter alios Cel. *Lind*)*. Excrementa aegrorum mox exportata, aut ſi ſua induſia et lintea conſpurcarunt, eadem cum prudentia fuerunt renouata; metuebam enim ne per vaſa abſorbentia putridum illud in corpus ingeratur, vel inſeruientem afficiat. Mortuos mox exportandos, noctu (ne de die praeſentes in plateis timori, et periculo contagionis ſubiiciantur) alta humo tegendos praecepi.

Simul iis, qui aegris ſeruitio erant, maſticandam dedi *radicem Angelicae*, vt crebrius ſaliua, cui fors miasma adhaeſit, exſpuatur; ipſe vero, antequam aegros acceſſiſſem, os *decocto Chamomillae*

*) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte 2 Band, III Stück, S. 167.*

momillae cum aceto colluebam, manus vero, et faciem eodem lauabam decocto. Aceto enim externe adhibito se a contagiosis morbis praeservarunt praeter alios *Diemerbroeckius*, *Syluius*. *Chamomillam noſtratem* addidi, quod ea iuxta Cel. *Pringlii* experimenta *) antiseptica sit, licet id neget Cel. *Macbride* **).

2do. *Victum* suasi *antiſepticum* aromatibus conditum solito magis vegetabilis indolis, cauendo ne nimia copia cibus assumeretur; nam omnis excessus machinam nostram debilitat, et functiones perturbat, neque idem apud aegrotos ingeratur, quia facile adhaerere potest miasma cibo. Cauendum etiam, ne ieiuni aegros accederemus, nam ieiunis vehementior est inspiratio, aër ad interiora plenius admittitur. Ex hac causa verbi diuini ministri contagio affecti sunt.

3tio *Potum* vero commendaui praeprimis *vini rubri vetusti aliquantum iam acescentis*; hoc enim curas mordaces dispellit, fugat timorem, vires vitae erigit, et potentius antiſepticum albo est. Et in hoc non defuit munificentia *Augustissimi Imperatoris* nostri, licet enim charo apud nos pretio vinum sit, ita, vt milites id sibi comparare nequeant, mandato tamen *Caesareo* cuilibet militi in nosocomio pro seruitio constituto data est quotidie libra vna; hoc enim optimum esse

*) Diss. app. Experim. 12. 17.
**) Experim. Essays. p. 130.

in contagiosis morbis prophylacticum, vnanimi voce confitentur Medici, dummodo sobrie bibatur, omne enim nimium vertitur in vitium. Potatores prae reliquis contagio affici obseruauit *Mercurialis* in Peste Paduana, et Venetiana *): idem ab abusu potuum spirituosorum in hoc morbo eueniſſe superius annotaui **).

4to *Vestes* quod attinet, optimum erat eas accommodare tempestati anni.

5to Cum hic morbus adeo contagiosus esset, vt recte cum *Ouidio* canere liceat ***):

Nec moderator adest, inque ipsos saeua medentes
Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.
Quo propior quisque est, seruitque fidelius aegris
In partem lethi citius venit — —

cogitandum erat de remedio, quo muniremur, et praeseruaremur. Multi multa eaque diuersa extollunt prophylactica remedia in morbis contagiosis, mihi in epidemia anni 1775 et 1776 praeplacuit *spiritus diatrion* s. *mixtura simplex*, quotidie eam praebendo mane ad guttas 80-90 cum saccharo, quam postea legi eundem in scopum exhibuisse *Baronem de Asch* referente Cel. *Baldingero* in peste *Iassy-Tschumensi* †). Constat

*) Lection. de Pestilentia Cap. 22. p. 83.
**) Vide §. V. numerum 8uum.
***) Metamorph. Lib. 7.
†) Vide eius *Magazin für Aerzte Seite 473.*

ſtat haec mixtura, vt notum, *Myrrha*, *Camphora*, *Spiritu vitrioli* etc. *), quorum antiſeptica vires inferius demonſtrabo.

In epidemia vero vltima pro pauperibus ſelegi *acetum vini*, de quo mane ieiuno ventriculo, et veſperi cochlear vnum ſumebatur. Laudat hoc *Syluius* **) *Diemerbroeckius*, *Kleinius* ***), *Pringle* †) *Ludwig* ††) etc. antiſepticum enim illud eſſe docet quotidianus oeconomicus vſus carnes a putredine praeſeruandi, et ipſe in pauperibus ſolis fomentis ex aceto gangraenam cohibui, feliciterque curaui. Eius neceſſitatem in caſtris iam agnouerunt Romani †††).

Officialibus, quibus noſocomiorum inſpectio tradita, ditioribusque, quibus acetum nimis vile remedium apparebat, dedi bis per diem ad cochlearia maiora duo *decoctum Corticis Peruuiani cum Pulpa Tamarindorum* (nro. 1): vt, ſi forte miaſma deglutitum eſſet, illud aciditate tamarindorum inuerteretur, infringeretur, deque corpore eliminaretur. Cortice putredinem praepediui bilis et humorum, viresque vitae conſeruaui; hoc remedio ipſe immunis ab hoc morbo perſtiti, incitatus a *Lindio* ‡), qui refert, Illuſt. *Bonneval* ſola

*) Vide pharmacop. Auſtriac. prouincial. p. 248.
**) *Boerhaave* Elem. Chem. T. II. p. 190.
***) Sel. rat. ined. p. 2.
†) Diſ. of Army Ed. 5. p. 111.
††) L. c. p. 68.
†††) *Vegetius* de re Milit. L. 3. c. 3.
‡) De diaeta nautarum.

Corticis Peruuiani ſuum exercitum a putridiſſima epidemia incolumem conſeruaſſe.

6to. *Motum corporis* quod attinet, eum ſecretiones, excretionesque promouere, teſtis eſt quotidiana experientia: vnde iam antiqui Medici nil magis ſanitati noſtrae conſeruandae conducere motu reliquerunt. Ob auctas enim ſecretiones excretionesque a multis praecauet morbis, impuros nociuosque de corpore noſtro eliminando humores. Conducebat ergo corpus ad lenem vsque ſudorem mouere; cauendum vero erat, ne corpus vehementius motum, aeſtuansque mox aegris obiiceretur, vehementiorem enim motum corpus laxare, hocque ad reſorptionem miasmatis diſponi docet, Pathologia; haec vna quoque cauſa fuit ex iis, quod tot milites, totque aegrorum famuli morbo hoc affecti ſint*).

7mo. *Animi affectus,* qui tantum influxum in ſanitatem noſtram et vitam habent, grati eſſe debebant, et moderati. Fugienda ergo:

a) *Ira;* hanc motum ſpirituum concitare, augere vim cordis et arteriarum, adeoque pulſum, vaſa in habitu corporis inflare, corpus tumidum, rubrum, calidius reddere, bilem in inteſtina effundere, docet Pathologia, et quotidianum ſpectaculum, ſicque corpus noſtrum variis morbis obiici, ipſique febri putridae, docet abunde hiſtoria medica.

b) Fugien-

*) Vide §. V. num. 3tium.

b) Fugienda quoque *triſtitia*, et *timor*: haec enim ad inſtar veneni corpori noſtro inſidiatur, per eam debilitatur ſyſtema neruoſum, vnde et cordis motus; corpus fit graue, et ob imminutam circulationem ſanguis in minimis vaſis ſtagnare incipit, atque hinc hydra morborum.

Quantus vero timor, quanta deſperatio aegros noſtros, reconualeſcentes, famulantes, occupauerit, alibi dixi*).

Alat animos e contra ſpes, gaudium et laetitia moderata, queis ſolis armis *Thaletem* a Lacedaemoniis peſtem abegiſſe, habet *Hieronymus Mercurialis* **).

8uo. *Secretiones et excretiones* rite procedere oportebat. Opera ergo danda erat, vt aluus quotidie deponeretur, ne reſorpta tenuior pars foecum in oceanum humorum feratur, eum inquinet, fomitemque morbo det, pulchre id praecauit remedium nro. 1.

Probe vero inuigilandum erat ſcabioſis, ne clam ſibi vnguentis exanthema repellerent, a cuius retropulſione toties hic morbus excitatus eſt.

9no. Superſunt *balnea calida*, quibus ſcopo prophylactico plures vſi ſunt in ciuitate noſtra: verum haec laxare corpus, diluere humores notum eſt, hinc fauere contagio, et ratio et experientia docet.

*) Vide §. V. num. I. Lit. 6.
**) L. c.

cet. Interim haec in ipsa peste extulit *Galenus* *), *Celsus* **), *Prosper Alpinus* ***) et Cel. *Belanger* †) confirmauit. Credo haec in iis epidemiis prodesse, in quibus adeo tenue, adeo parcum est miasma, vt subsecuto sudore dispelli possit. At quid tum est remedio, an balneum calidum, an sudor?

§. IX.

Cura Curatoria quam ardua, quamque intricata sit, non nisi is perspicit, qui sedulam suae arti operum nauat, indefessusque desudat in studendo. Etenim si vllus, certe est maligna febris putrida, morbus, in quo adeo diuersae sunt sententiae, diuersae methodi curandi Practicorum, vt exercitatissimi Medici, qui longo iam tempore vitam suam in aegrorum felicitatem consecrarunt, in similibus epidemiis, praecipue in earum initio attoniti haereant, pluresque perdant aegros, quam resanent, donec aut casu fortuito, aut ipsa natura viam monstrante eam discant oppugnare, vincereque feliciter. Non opus est id pluribus demonstrare, sunt plures consignatae epidemiae, quibus id confirmat Historia Medica, et quis ille est Medicus, qui se aliquando errasse confiteri vereatur? Bene dixit *Hippocrates*, ars longa, vita breuis, iudicium difficile; id expertus sum in epidemia anni 1775, quae

vicinos

*) De morb. Libr. II.
**) De febr. pestil. I. III. c. 7.
***) Med. Aegypt. c. XIX.
†) Ergo in febre maligna balneum 1770. Paris.

vicinos deuaſtabat pagos; plures enim ex aegris perdidiſſe, ac ſeruaſſe confiteri non erubeſco: in ſequentibus eo felicior epidemiis, edoctus, methodo ſequenti dirum morbum cedere debere arti, dummodo mox in principio auxilium feratur. Prouecto enim morbo nonniſi ambiguum auxilium promitti poteſt.

§. X.

Sequentes exurgebant indicationes:

1ma. *Putredinem corrigere, et eliminare.*

2da. *Vires vitae conſeruare, labentesque erigere.*

3tia. *Symptomatibus proſpicere vrgentibus.*

4ta. *Recidiuam praecauere.*

§. XI.

Putredo corrigitur antiſepticis, eliminatur vel emetico, vel purgante, vel ſudore. Videamus iam praecipua, quae pro his ſcopis extollunt Practici, et quae in hac epidemia aut nocuerint, aut profuerint.

§. XII.

Venaeſectio.

Magno cum contentionum aeſtu quaeſtio inter Medicos agitatur, an in febribus putridis, morbisque malignis phlebotome adminiſtranda ſit? Plures Celeberrimi Viri illam inſtituendam volunt praecipiuntque cum *Sydenhamo*, alii vero nihil damnoſius, perniciosiusque illa in his morbis volunt. Cel. *Heluich*, feliciſſi-

liciſſimus Practicus quondam Wratislauienſium, qui vltra ducentorum ſimili morbo decumbentium curam geſſit, nulli venam ſecuit *). Litem mihi optime diremiſſe videtur *Tiſſotus*, dum ponderatis affirmatiuae ſententiae argumentis auctoritatibusque, tandem ob has rationes V. S. in his reiicit morbis **).

1mo. Omne remedium, quod non prodeſt, nocet, et prae aliis pluribus V. S. Quotiescunque enim cauſam morbi non tollit, vires peſſumdat, quarum tanti eſt conſeruatio; nam *nihil magis ad firmiorem curationem conducit, quam ſi firmae fuerint aegri vires, illae ergo omni ope ſeruandae ſunt* ***). Quo plus enim vim aegri, quae reliqua eſt ſanitas, debilitabis, eo magis praeponderabunt vires morbi.

2do. Laxat V. S. Ex laxitate autem duo peſſima et indicationibus prorſus aduerſa oriuntur, putredinis incrementum, et viſcerum imbecillitas; ſcopus autem erat viſcera roborare, et putredinem arcere. Sed aiunt quidam ex nimia phlogiſtica febre omnis ſanguis putreſcit, hanc putredinem praepedit V. S. quonam modo in alia acuta febre putredini fauet? Simplex eſt reſponſum, mutata conditione mutatur effectus; in acuto inflammatorio, et in acuto putrido longe diſtant

*) Vide hiſtoriam morborum, qui anno 1690. 1700. et 1701. Wratislauiae graſſati ſunt p. 9.

**) Opuſculor. Medic. Tom. I. p. 98.

***) Il. L. B. *van Swieten* Commentar. L. 2. p. 96.

diſtant indicationes. In primo generatur putredo, aut purulenta, aut gangraenoſa intra vaſa ſanguinea, ob nimium motum ſummumque calorem. In morbo putrido gaſtrico rem habemus cum ſordibus extra vaſa circulationis depoſitis, ibi ob inertiam ſolidorum congeſtis, ſponte putreſcentibus, et putreſcendo omnia laxantibus, flatusque generantibus, qui laxis iam iam fibris non coerciti eas vltra tonum diſtendunt, vicina obſtruunt, conprimunt, lacerant. Inde nunc intelligitur V. S. partes humorum morbidum continentes laxando, prout eſt inflammatorius aut putridus morbus, putredinem praepedire, aut fauere.

3tio. Peior fit morbus, ſi rapiantur putridae materiae in maſſam ſanguineam, et raptum illum iuvat phlebotomia; *nam depletis maioribus venis facillime poterunt minimae venulae bibulae abſorptos humores maioribus venis tradere, vnde promptior fiet putridi reſorptio*, teſte *van Swieten**). Sic ergo multiplicatur morbus, omnes inficiuntur humores, tota machina putrida diffluit tabe, omnisque ſpes ſanationis excidit.

4to. Non modo reſorptionem iuuat, ſed reſorpti vim auget. Diminuta enim quantitate boni ſanguinis eo maior effectus viru. Lex eſt ſiquidem nunquam reuocanda, quod poſita eadem veneni inficientis quantitate eo maior infectio, quo minor

*) Commentarior. T. I. p. 550.

nor quantitas humoris inficiendi. Iam monuerant veteres V. S. rapi bilem in ſanguinem, et ſanguinem frenum eſſe bilis. Quotiescunque ergo putridum adeſt, nocebit cruorem detrahere, et auctoritatem praebent ipſi morbi inflammatorii, in quibus ſanguinem licet detrahere tamdiu, quousque non conſtiterit, pus fieri; hoc enim nato iam putrida adeſt acrimonia.

5to. Generatio febris bilioſae (idem de putrida valet) non eſt opus vnius horae; congeruntur ſenſim ſordes, obſtruuntur viſcera, languent gaſtrici ſyſtematis functiones, imperfecta remanet digeſtio, imperfecta ergo et nutritio, nec eadem inde ſanguinis quantitas conficitur, nec idem ille elaboratus ſanguis, ſolus vere inflammari capax. Illo ergo momento, quo aliquis bilioſa febre corripitur, iam plethoricus et pancraticus eſſe deſiit.

6to. Plura et grauia ſemper induxit ſymptomata. Confirmat haec tam veterum, quam recentiorum Practicorum obſeruatis *Tiſſotus*.

Quid me meae obſeruationes in binis epidemiis docuerint, nunc dicam.

Cum in epidemia anni 1775. et 1776 omnes, quibus phlebotomiam inſtitui, perdiderim, in ſequenti epidemia anni 1778. et 1779 non niſi iis venam ſecari curaui, quos ab abuſu potuum ſpirituoſorum in morbum hunc incurriſſe cognoui, his pulſus durior, facies magis rubra, et venae plus inflatae erant. Parca tamen copia ſcilicet ad vncias IV. V. ſanguinem detraxi, eo-

que

que tempore, quo ſanguis effluxit, in altera manu pulſum exploraui, quem ſi deficere aduerti, mox claudi vulnus praecepi.

Sanguis erat floridus, nullumque craſſamentum formauit.

Iis vero, quos a contagio hoc morbo proſtatos cognoui, quique ſemper cadaueroſum foetorem ex ventriculo in os aſcendentem conqueſti ſunt, V. S. lethum afferre non ſemel vidi, dum Chirurgi ſuae perverſae methodo indulgebant; vires enim vitae alioquin ſumme proſtratae (vti ex Hiſtoria morbi patet) adeo infringebantur, vt cardiaca nihil opitularentur, et ii, qui euaſerunt, cachectici, hydropici, tabidi perierunt.

§. XIII.

Diluentia et ſoluentia.

Vbi in prima morbi periodo auxilium quaerebatur, os amarum fuerat, vomituritio aderat, ſenſus ponderis ad ſcrobiculum cordis, data eſt mixtura ex ſalibus mediis cum Spiritu vitrioli (nro. 2.), aut puluis ex arcano duplicato cum cremore tartari (nro. 3.) vt materies ſpiſſa, glutinoſa, putrida in primis viis haerens incideretur, aptaque fieret ad eiiciendum; niſi enim haec praemitterentur, nunquam ab euacuantibus optatum vidimus effectum. Non tamen his vltra alteram inſiſtendum erat diem, (cum tertia, aut quarta die altera periodus morbi acceſſerit) vbi leuamen non attulerunt, a ſolis enim his diluentibus et ſoluentibus plures convaluere, qui iam iam in morbum lapſuri erant, ſed

proh

proh dolor! pauci fuere, qui prima periodo medicum efflagitaſſent auxilium.

§. XIV.

Emetica.

Si vllius remedii vſus in febribus putridis, malignisque criſi ſubiicitur, certe eſt emetici; multi pro eodem dimicant, multi illud damnant. Horum omnium diſſenſus argumentaque eleganti calamo proſequitur Cel. *Weſtphal*)*, tandem ita concludens (nimis timidus), non ſatis certum eſſe poſſe Medicum de abſentia inflammati ventriculi, poſſeque oris amarorem, cardialgiam, nauſeam, ructus, vomendi conatus (emeticum indicantia) a ſolo conſenſu orta fuiſſe, in quibus caſibus emeſis valde pernicioſa foret, hinc a ſolis diluentibus et ſoluentibus omnia ea exſpectat, quae emetica praeſtant bona.

At liceat et hic meam exponere mentem.

1mo. Longius requiritur tempus, vt pituita a ſolis diluentibus et ſoluentibus attenuetur, mobilis reddatur, inuertaturque; certe, ſi vllibi, hic tempus vrget, vt deglutitum miaſma, aut latens ſaburra in primis viis mox exturbetur, ne, rapta in oceanum humorum, adeo truculentum excitet morbum

*) Vide eius diſſertationem de limitandis laudibus vomitoriorum ad curandas febres malignas, quam recenſet Cel. *Baldingerus* in Sylloge ſuor. opuſc. Argumenti medico-practici Vol. II. p. 1.

morbum; nulla promptior eſt emeſi medicina, quae tam exacte votis reſpondeat.

2do. Quod *Gaſtritidem*, quam adeo formidamus, quamque adeo multi in hac febre timent a deglutito miasmate, attinet, monuit iam Cel. *Unzerus*)* rariorem eſſe eam, ac vulgo creditur. Nam cognoſcitur haec:

1mo. Ex dolore ardente fixo in regione ventriculi ad ingeſta conſueta parca copia ſumpta exacerbato.

In noſtro morbo omnes quidem aegri conqueſti ſunt dolorem ad ſcrobiculum cordis, quem ipſi potius ſenſationem ingratam, ac dolorem inſignire voluerunt, hanc vomitu natura excitatum vidimus leuari, quin et nonnunquam ex toto euaneſcere; in vera autem gaſtritide a vomitu dolorem exacerbari notum eſt.

2do. Ex anxietate ad praecordia.

Et de hac aegri quidem noſtri conquerebantur, eadem tamen breui diſſipata eſt a vomitu vel arte, vel natura provocato; in gaſtritide ea perdurat ad finem morbi vsque.

3tio. Mox in principio gaſtritidis ſingultus adeſt.

In noſtro morbo nonniſi in ἀκμῃ obſeruatus, quam tum adfuiſſe lubens concedo, cum ſectiones cadauerum febri putrida defunctorum Cel. Medi-

*) *Der Arzt, eine medicinische Wochenſchrift 5 B. Seite 621.*

Medicos docuerint, ventriculum et inteſtina inflammata eſſe.

4to. In gaſtritide pulſus eſt durus; in morbi noſtri principio plerumque naturali ſimilis, aut certe parum ab illo abludens tangebatur. Accidit quidem in gaſtritide a venenis nata, ob ſyncopem et doloris vehementiam pulſum debilem et ſuppreſſum tangi, at tum ex aliis ſignis ſimul ſumptis iudicium ferri debet; peſſime enim ille falleretur, qui vni ſigno crederet, ex eoque concludere vellet.

5to. Denique ex conſtitutione epidemica veram metam reperiet Medicus, quam ſequi tuto poſſit.

An vero dicta ſymptomata, quae emeticum indicant, a ſolo conſenſu orta ſint, aut oriantur? docebit ſedulum examen epidemiae; in noſtra conſenſualia non fuiſſe, et ratio, et experientia optima rerum magiſtra euicit.

Ergo praeſentibus nauſea fere continua, anorexia, pondere in ventriculo, ructibus nidoroſis, foetidis, vomituritionibus, quin et ipſo vomitu, ore amaro, lingua ſordida, intrepida manu praemiſſis diluentibus emeticum exhibui, memor illius, quod dixit Princeps Medicorum: *Quae educere oportet, quo maxime vergunt, eo ducenda per loca conuenientia**), natura ipſa hanc viam monſtrante, dum in prima periodo, et initio ſecundae aegri ſaepe cum leuamine vomuerunt.

Sancte

*) Section. I. aph. 21.

Sancte affirmo ab emetico, quoties ſub his circumſtantiis, nempe in prima periodo, aut prima die periodi alterius, datum eſt, me præſentiſſimum ſemper levamen obſervaſſe; aegri reiecerunt pituitam ductilem, foetentem, bile remixtam, evaneſcente breui ponderis ſenſu ad cardiam, oris amaritie, nauſeaque, quin, quod plus eſt, confiteor, plures, quibus emeticum mox dedi, qui a contagio ſuſcepto aegrotare inceperunt, quique de cadaveroſo foetore ex ventriculo aſcendente (ſit repetitioni venia) conqueſti ſunt, a morbo immunes manſiſſe: peritiſſimus Chirurgus *Delaſtrata* pluries ſic morbum, cui iam iam obiiciebatur, effugit. Plures reconvaleſcentes fami ſuae indulgentes in recidiuam labentes emeticum ſalvavit. Sic præcavi, ne miasma deglutitum in maſſam rapiatur ſanguineam, eam contaminet, periculoſiſſimumque accendat morbum. His accedit, quod emetica initio data impediant progreſſum morbi ſaepius ſtimulando, & excitando vim vitae magis quam evacuando, teſtibus fide digniſſimis viris, per tot, tantasque obſervationes uſu didici, diarrhoeam illam colliquativam, obſtructiones lienis, hepatis, indeque fluentia mala, ſoli neglecto emetico tribui debere.

Non me tuſſis, qua nonnulli mox in principio affligebantur, a vomitorio exhibendo deterrebat; eam enim ſtomachalem fuiſſe, me docebant ſputa aut nulla, aut ſpumoſa, dolor in thorace abſens, reſpiratio facilis, ſenſus irritantis rei in faucibus ac gutture. Neque tamen ea mihi contigit felicitas, quae Cl. *Stoll*, qui Ipecacuanha ad miraculum aliquoties hanc tuſſim profli-

gavit *), nam ne eos quidem illa dereliquit, qui emetico morbi vim effugere.

Emeticum vero, quo usus sum, erat radix Ipecacuanha cum tartaro emetico acuata (n. 4.).

Multi a paucis huius radicis granis eundem effectum ac a maxima dosi sequi contendunt, verum id de solo cortice plus medulla resinoso valet.

Post quemlibet vomitum aegris aqua tepida haurienda data, facilius sic vomuerunt, et facilius attenuata fuit saburra. Tartarus emeticus simul alvum aliquoties subduxit, quam liberam esse in hoc morbo omnes volunt Practici.

Neque tamen indiscriminatim omnibus meis aegris emeticum exhibui:

1mo. Non dedi hernioſis, eo quod per pressionem viscerum abdominalium sub vomitu hernia augeatur, & facile inflammari queat.

2do. Dyspnoeicis, eo quod adhuc difficilior reddatur respiratio.

3tio. Phthisicis eamdem ob causam.

Gravidis tamen non verebar exhibere, ligato prius probe abdomine fascia.

4to. Non dedi haemoptoicis ob metum recrudescentis morbi.

5to. Vbi aderat spissitudo phlogistica sanguinis parca phlebotome praemissa.

6to.

*) Ration. Medendi. S. 1. p. 231.

6to. Debilitatis adeo, vt animo linquerentur, mox in principio morbi, emetica dare, fuiſſet aegrum occidere, quod per errorem in nonnullis acciſſe doleo.

7mo. Nulli poſt ſecundam diem ſecundae periodi emeticum conceſſi, nam tunc emetica nocuiſſe me obſeruatio docuit, licet illud *Sydenham*, *Pringle*, *Huxham*, *Tiſſot*, *Zimmermann*, aliique Celeberrimi Viri, qui de febre putrida erudite ſcripſerunt, vigeſimo die etiam illud feliciſſimo cum ſucceſſu exhibuerint.

Manet ergo emeticis ſua laus in febribus putridis malignisque, aut penitus praeuertendis, aut viam pandendis pro felici cura, dummodo cum judicio exhibeantur.

§. XV.

Purgantia.

In ſeptem ante dictis caſibus, emeticum contra indicantibus, hoſtis fomesque mali in primis vüs latet, expelli ergo debet ex iis, ne mora in ſanguinem rapiatur, morbumque hunc atrocem excitet; locus tum erat *purganti*, non tamen draſtico, quod et febrim magis concitaret, et corporis vires jam debilitatas ex integro infringeret, ſed tali, quod ex lenioribus acidis, facilioribusque tantum deſumptum ſit. Praeplacuere mihi Tamarindi (n. 5.) aut cremoris Tartari uncia una ſoluta in libra una decocti hordei, per epicraſin ſumenda, his corpus vix mutari, multo minus turbari

obſeruauit *Sanctorius*, conſilium ſecutus Cel. *Stahlii*, qui omnes Medicos hortatur, vt ſi felices eſſe volunt in curandis febribus malignis, petechizantibus, alvum purgante ſolicitent leni, non ſtimulante, *) cujus vſum, neceſſitatemque in his morbis peculiari programmate ſupra laudatus Cel. *Weſtphal* demonſtravit **). Sic morbum mox feliciter terminari eliminata materia nigra, viridi ſpumoſa, ſat copioſa nonnunquam cum lumbricis, vel mitioribus longe decurrere ſymptomatibus expertus ſum.

Sed et abſoluto morbo, vel ex toto, vel pro maxima ſaltem parte, eum potiſſimum ob ſcopum purgante opus erat, vt materiam ſuperſtitem adhuc et vagam fors in corpore, neque perfecta rite criſi adhuc eliminatam educarem, ſicque recidivam impedirem, et triſtes hujus morbi reliquias praecaverem.

§. XVI.

Clysmata.

Haec in noſtro morbo ſaepe inſignem et neceſſarium uſum habuerunt, nam:

1mo. Vbi aluus in periodo ſecunda morbi obſtructa erat, illam enemate ex infuſo chamomillae reſeravi (n. 7.). Inde magnum levamen aegri perceperunt, ab elotis enim ſordibus putridis, reſorptio illarum impediebatur, praecavebaturque funeſta illa diarrhoea colliquativa.

2do.

*) Vide *Storchii* Stahliana praxis p. 848.
**) in l. c. Cl. *Baldingeri*. Vol. 1. p. 211.

2do. Praesentibus signis obstructi hepatis, lienis, clysmatibus praeprimis quotidie binis insistendum erat, tum, quod ubi ad colon perveniunt, foveant hepar, tum, quod resorpta per venas bibulas immediate ad hepar ferantur, sicque obstructa resolvant, blandoque humanum parumper superante calore discutiant, tum denique, quod evacuent crassa intestina a foecibus putridis. Vbi ergo abdomen durum, hypochondria tensa, inflata, dolentia tangebantur ad clysmata ex emollientibus confugi (n. 7.), cavendo tamen ab oleo, cum illud facillime ranceſcat.

3tio. Pessimis praesentibus signis clysma (elota alvo prius) ex *cortice peruviano* injeci, de quo tamen specialius agam.

4to. Dandum erat Clysma (n. 6.) ubi signa apparuerunt crisim futuram per aluum, vt viam, quam natura appetit, praepararem, disponerem; ne ullam hic inveniat materies critica resistentiam, sed placide et tranquille ex corpore efferatur.

5to. Fuerunt nonnulli aegri, quibus Parotides eruperunt, his ubi disparere incipiebant, materiei per clysmata viam ostendi, quam petere possit majori cum facilitate, et dein inde ex corpore eliminari.

Non tamen quis credat, in omni morbi stadio me clysmatibus institisse. Quamdiu morbus omnia cruditatis signa exhibebat, tamdiu tuto et efficaciter eadem adhibui (nisi ubi alvus

foluta eſſet): ubi vero ſigna coctionis jam apparuerunt, an tum conſultum fuiſſet, juſtum jam febris moderamen tanquam coctionis primarium inſtrumentum debilitare? infringere? an tum prudentis fuiſſet, naturam in ſuo ſalutari opere turbare, ignorans adhuc, quo ſeſe natura ſit determinatura, quamque viam ſit quaeſitura, amplexura. Adeoque ſub ipſa coctione nullam exhibui clysma, et non niſi in eo urgente caſu, ubi aut obſtructiones hepatis lienisque perdurarunt, aut ubi alvus diu non reſponderat. Haec de his praelibaſſe ſufficiat, quae in decurſu magis elucidabuntur, et determinabuntur. His praemiſſis indicabantur remedia ea, quae putredini reſiſtunt.

§. XVII.

Palmam reliquis antiſepticis praeripiunt acida mineralia, fructus horaei acidi, aceſcentes, Cortex Peruvianus, radix Serpentariae Virginianae, Valerianae ſylveſtris, Arnicae, Camphora, Aër fixus, de quibus nunc ſigillatim acturus ſum.

§. XVIII.

Acida mineralia.

Ex his uſitata ſunt Spiritus ſulphuris p. c. et Spiritus vitrioli. Spiritum ſulphuris praeferunt nonnulli Spiritui vitrioli, ideo, quia ipſis videtur omni labe metallica immunis; ſed praeterquam quod ſpiritus hicce longe carioris ſit pretii, nonne etiam juſtus metus adeſt labis arſenicalis, dum vix exiſtit ſulphur, quod arſenico inquinatum non eſſet? a phlogiſto in eo praeſente

nil

nil habes, quod expectare potes ſingularis, id enim omne flamma conſumptum eſt; et ſpiritus vitrioli etiam gaudere debet phlogiſto, ſi rite paratus ſit, non quidem, uti vulgo in officinis fieri ſolet, ex oleo vitrioli magna quantitate aquae diluto.

Hunc ſpiritum non ſolum putredini, quam potentiſſime reſiſtere conſtat obſeruatis practicis, ſed etiam atoniam perpetuam fere putredinis comitem, ſemper noxiam ſimul corrigere, teſtis eſt cel. *Quarin* *).

Quare eum non ſolum ſemper cortici Peruviano, ſed et decocto hordei admiscui, ſumendo ad libras IV. decocti drachmas ſex ſpiritus. Hordeum ea propter elegi, quod aliquid glutinoſi lentoris aquae addat, ne nimis cito per urinam aut ſudorem dilabatur, quo plus ex eo aegri biberunt, eo melius erat, nam continua novi eiusmodi liquidi admiſſione, ulterior coruptio humorum impeditur. Parca tamen copia vna vice hauriendus erat hic potus, ſaepius tamen; ſic enim ſanguini melius misceri, neque ita facile expelli ex corpore, praecaverique, ne a nimis diſtento ventriculo ſingultus, anxietas, nauſea, vomitus, oriatur, teſtis eſt experientia.

Expoſcentibus aegris limonatam, conceſſi, dummodo ab ante dicto decocto non deſiſterent. An aqua frigida competat? alibi dictum **). Accidit non raro, vt cauſis ſitis praeſentibus nulla tamen ſitis obſeruata fuerit, aut quod aegri mente ſibi non amplius con-

 ſtiterint,

*) L. c. p. 49.
**) Vide §. V. n. 9.

ſtiterint, aut quod ex ſingulari aliqua idioſyncraſia copioſe bibere noluerint, quid tum? certe aegri tales ſibi permittendi non erant, ſed blande admoniti ſunt neceſſitatis bibendi: ubi comatoſi erant, coacti ſunt.

Saepe neceſſe erat in altera periodo aegris adeo debilibus, vt lipothymia afficerentur, quibusque pulſus paruus, debilis tangebatur, vinum cum tripla aquae quantitate dilutum exhibere: cavendum tamen erat, ne illud proprio biberent marte, ſed ab adſtantibus acciperent, mox ab eius vſu deſiſtendum erat, ubi delirium acceſſit; plura ubi de vino.

§. XIX.

Fructus Horaei acidi.

Ribeſia, mora, ceraſa acida, poma acida, citri, aurantiorum, berberis fructus, fraga, iis temporibus anni, quibus haberi potuerunt, cocta exhibebantur, ſic ſitis pulchre ſedata, putredo correcta, futura auerſa, vires refocillatae, nutritae, ſuſtentatae.

§. XX.

Cortex Peruuianus.

Debitis praegreſſis euacuationibus (§. XII. XIII. XIV. XV.), perſiſtente febre, aut eadem aucta, tardius quaeſita medela congrua, aegroque iam in altera morbi periodo conſtituto, efficax opponi debere remedium, docet calor, *qui in putrida non ex attritu, vt in febribus inflammatoriis et intermittentibus notatur, quod pulſus monſtrat, ſed potius a diſpoſitione in putredinem pendere videtur.* Ob-

ſeruata

*ſeruata nos docent, thermometrum in cadauere febre putrida ante mediam horam defuncti 96 gradus caloris adhuc notaſſe Cel. Quarin *).* Docet notabilis debilitas ad lipothymiam vsque, docet decubitus neglectus, pulſus plerumque naturali ſimilis, in nonnullis iuſto celerior (non tamen tantus celeritate, qualis a nonnullis obſeruatus) in aliis debilis, paruus, et reliqua in alterius periodi principio, mox animaduerſa ſymptomata. Anne vero potentius, ſecurius, nobilius, remedium diuino Cortice poſſidemus, quod omnibus pro voto ſufficeret indicationibus? Nam

1mo. Antiſepticum illum eſſe, docent experimenta cum eo extra corpus animale inſtituta a Cel. *Pringlio **), Macbridio ***), Anonymo Gallo ****), Percival †), Mautio ††)* et praxis, optima rerum magiſtra, in morbis ſic dictis putridis v. g. variolis confluentibus confirmat. Vndenam vero quaerit Cl. *Murray †††)* iſtam efficaciam antiſepticam? An a vi adſtringendi, quum putredo conſiſtat in diſiunctione particularum, et omnia adſtringentia putredini reſiſtant? ſed et alia antiputredinoſa extant ſine adſtrictione, exemplo Camphorae, Serpentariae Virginianae.

*) L. c. p. 50.
**) In diſeaſes App.
***) L. c. p. 45. 139.
****) Eſſay ſur la putrefaction. p. 445.
†) Eſſay l. c. a. p. 61.
††) Diſſ. de Cortice Peruuiano, in collectione Cl. *Sandifort.* Vol. I. a. p. 195.
†††) Mat. Med. Vol. 1. p. 556.

An fermentatione? quam generat, reſtituitur aër fixus, quo deſtructo putredo ſimulque compingit et vaſis putredine relaxatis tonum ſuum impertit, iudice *Macbride* *); hanc ſententiam priore veroſimiliorem eſſe, docent nobiliſſima Anglorum capta experimenta circa aerem fixum, vt ſuo videbimus loco.

2do. Roborantem vim eius docet ſummus vſus in variis haemorhagiis, tabe dorſali ſyſtemateque neruoſo roborando: hinc in noſtra epidemia conuenit, qua antiſepticum et qua roborans debilitatum ſyſtema neruoſum, cumque plurimi aegri in altera periodo haemorrhagia affecti ſint et ex hoc fine nobilis eius erat virtus. Sic non ſolum ſymptomata ex humorum putredine oriunda tollebat, ſed ſanguinem denſabat, cruentas ſiſtebat euacuationes, motusque conuulſiuos praepediebat.

3tio. Eum exanthemata ad cutem propellere, praepedire retropulſionem, ſicque vires vitae erigere, docet ſummus eius vſus in variolis confluentibus, petechiis, ſcarlatina **); cum aegri noſtri plures quarta, ſeptima die periodi alterius miliaria petechias acceperint, et ex hoc capite profuit.

4to. Anthelminticam ei vim ineſſe docet *Ramazzinus* ***), *Lanzonius* †), *Wratislavienſes*

*) L. c. p. 45. p. 139.
**) Vide Cl. Murray L. c. C. p. 586.
***) Conſtitutio epid. in oper. p. 151.
†) Oper. T. 2. p. 398.

ſes *), *Torti* **), *Van den Boſch* ***); in noſtra epidemia plurimos aegros per os et anum excreviſſe lumbricos, in hiſtoria morbi dixi, ergo et ex hoc fine Cortex indicabatur.

5to. In morbis neruoſis eum ſingularis uſus eſſe, docet paſſio hyſterica, docent conuulſiones, docet denique ipſa epilepſia, vnde et ex hoc capite in morbo hoc neceſſarius.

6to. Sed et ſcorbuto eum mederi, docet Cel *Kramer* †) et *Broklesby* ††) vnde lethalis praecauebatur ſcorbutus putridus.

Ergo cum tot tantisque indicationibus explendis in altera periodo morbi optime ex hactenus cognitis remediis Cortex ſatisfaciat, eum ſine mora, praeeunte Ill. de *Haen* †††), mox in principio morbi praegreſſis euacuationibus, aut vbi eaedem ob debilitatem ſummam aegri absque periculo vitae fieri non potuerunt, omiſſis exhibui. Neque unquam cum eius uſu ultra ſecundam diem ſecundae periodi expectaui, eos enim omnes, quibus tardius exhibitus eſt, morbus ſubito increſcens ſuſtulit. Cum vero plurimi aegri viscerum abdominalium obſtructionibus laborarent, ſemper eidem ſalia media, velut *nitrum* (quod ſepticum non eſſe

*) Hiſt. morb. Wratisl. Ed. *Haller*. p. 35.
**) De febribus p. 431.
***) Hiſtor. Conſtit. Verm. p. 36.
†) Diſſert. de Scorbuto.
††) Obſeru. p. 306.
†††) L. c. P. 3. p. 36. P. 11. p. 292.

esse, sed potius antisepticum docuit Cel. *Code* *) salem *polychrestum Glaseri* addidi (n. 8.); sic obstructa reserabantur, aluoque eliminabatur collecta putrida saburra in intestinis, delirioque pulchre medebatur; aluo liberiori abstinendum erat ab his salibus, cum eandem augeant.

Neque me a Corticis vsu deterrebat icterus, eius enim remedium esse dixit Cel. *Marcard* **), *Cleghorn* ***), *Pringle* †) et Cl. meus quondam Professor *Wenceslaus Trnka* (cui ob innumera in me praestita bona grates hic publicas refero) eundem in febribus intermittentibus cum ictero adhiberi vult, si vrgens quod symptoma eius vsum poscat ††), sed intrepida manu eundem cum salibus mediis propinabam, non omissis clysmatibus (n. 7.). Vix vllum quidem seruatum ictericum confiteor, nam morbus maior erat omni arte, at sine hoc citius mortuos fuisse, non semel vidi. Nascebatur icterus plerumque in morbo hoc, vbi euacuationes debitae non sunt praemissae, aut praemitti non potuerunt, aut vbi Cortex initio absque salibus mediis, aut vbi nimis tarde exhibebatur, clysmaque (n. 7.) non applicabatur.

Tria in eius vsu obseruabam: tempus, formam, dosim.

Tempus

*) De Medic. Milit. par Columbier T. III. p. 199.
**) Medicinische Versuche 1 Theil S. 242.
***) Dis. of. Minorca p. 205.
†) L. c. P. 3. c. 4. Sect. 3.
††) Vide Commentarium de febribus intermittentibus.

Tempus quod attinet; eum nullo non tempore exhibere verebar.

Forma vero sub qua, erat:

1mo. Interne in *decocto*; hoc quidem reiicit Cel. *Percival* *), praefertque infusum trituratione paratum: at cum longiorem requirat laborem decocto, suasi pharmacopaeo decoctum mox ab igne remotum colari: nam quamdiu aqua fervens est, manent resinosae particulae Corticis in aqua solutae, et transeunt per linteum, econtra si frigefactum colatur decoctum remanent resinosae particulae in linteo, et decoctum minus actiuum est. Gratius quidem decoctum euadere, si non prius coletur quam refriguerit, docuit Ill. *Haenius* **): at ego non gratiae, sed viribus maioribus studebam.

Varia vero vna cum Cortice decoqui iussi, iam radicem Valerianae sylvestris (n. 8.), iam Arnicae (n. 9.), iam Serpentariae Virginianae (n. 10.), prout symptomata exposcebant.

In *clysmate* (n. 11.) ad mentem Ill. *Haenii* ***) praesentibus pessimis signis, vt abdomine tympanitico, tremore totius corporis, subsultibus tendinum, comate, optimo cum successu Corticem, elota prius aluo clysmate emolliente (n. 6.) ne foe-

ces

*) *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte, 2 Band, 2 Stück, S. 159.*

**) Rat. Med. P. 12. p. 261.

***) L. c. P. 9. p. 240.

ces in craſſis inteſtinis haerentes obſtent, atque diutius clysma ex Cortice vacuis inteſtinis retineri poſſit, inieci; paucas vero clysmatis uncias iniici curavi, ne mole ſua ad excretionem vellicaret.

Hoc clysmate aegros iam iam veſpilioni tradendos ſeruaui.

In *fomento* Cel. *Theden* *), in malignis febribus, exhauſtis viribus aegro, aliisque nihil proficientibus remediis, repetitis vicibus pedes, ſcrotum, abdomen frigida aqua foueri praecepit, dein abſtergi et tegi repetitis vicibus, hoc eius conſilium, at ſine fructu probaui; frigus enim morbum noſtrum nequaquam leuauit, quin potius auxit hyeme. Cel. vero *Whytt* **) eo in caſu, vbi aegri delirabant, comatoſi fuerunt, convulſiones, ſubſultus tendinum habuerunt, laudauit fomenta pedibus manibusque appoſita ex aqua tepida et aceto omni quinto, decimo minuto, eadem quoque laudat Cel. *Lind* ***), eadem quoque optimo cum ſucceſſu appoſuiſſe lego Cl. *Baldingerum* †), eadem et ego ſummo cum effectu adhibui, dilioribus tamen decoctum Corticis cum aceto vini

*) *Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wund-Arztney und Medicin, Berlin und Stettin 1771.*

**) *Sämmtliche zur practiſchen Arzneykunſt gehörige Schriften. S. 559.*

***) L. c. p. 11.

†) *Neues Magazin für Aerzte, 2 Stück. S. 139.*

(n. 12.), expreſſis probe linteis, manibus, pedibus, abdomini appoſui omni quinto minuto.

ado. In *extracto*, vel in decocto vt (n. 9. 10.), vel in mixtura (n. 13.), quam circa finem periodi ſecundae, inque tertia vtiliſſimam deprehendi.

In ſubſtantia eundem non exhibui, quod eum a debili ventriculo non ferri, toties expertus ſim.

Doſin eius quod attinet, determinabant eam vires aegri, et bonitas eius: plerumque in ſecunda periodo intra nyctheimerum aſſumendae erant unciae tres, circa finem eiusdem periodi VI. VIII. etſi raro opitulantes.

§. XXI.

Serpentariae Virginianae, Contrayeruae radix.

Radicem Serpentariam Virginianam unanimi ſenſu in febre putrida antiſepticum eſſe remedium, putredinem corrigere, vires vitae erigere, fere omnes agnoſcunt Medici praeunte Cel. *Pringlio* *); vnde aegris, quorum pulſus paruus, debilis, ſed aequalis et mollis eſt, diarrhoea aderat, delirium inſtabat, petechiae apparebant, exhibebam cum Camphora (n. 10.) Huic nonnulli ſubſtituunt *Contrayeruam.*

§. XXII.

Valerianae ſylueſtris maioris radix.

Feliciſſimus practicus *Collinus* multos aegros morbis putridis ex tranſpiratione ſuppreſſa, contagio aliisque cauſis

*) L. c. experim. 7. 11. 14.

cauſis contractis, magna cum virium proſtratione, pulſu debili, inaequali, ſomnolentia, ſopore, deliriis, tremoribus, oculis turbidis, caliginoſis, facie fere hippocratica, petechiis, et miliaribus erumpentibus, iunctis, laborantes ſaepius inde leuauit; praecipue vero hanc extollit in putridis obſtructione iunctis teſte Cel. *Dreſky* *), qui eandem antiſeptica vi praepollere Cortici Peruuiano experimentis demonſtrauit**). Hinc eandem mox factis euacuationibus cum Cortice Peruuiano praeſcripſi (n. 8.), vt putredinem corrigerem eique reſiſterem, ſed et ob anthelminticam vim eius ſummi erat vſus, teſtibus Cel. viris *Quarinio* ***), *Hirſchel* †), *Lagene* ††), Illuſt. L. B. *Störk* †††), quam et ego verminoſis infantibus cum melle optimo cum ſucceſſu exhibere ſoleo. Vbi vires vitae excitandae erant, petechiae aut miliaria erumpere inceperant, pulſus debilis, inaequalis obſeruabatur, aderantque tremores: eandem feliciter addidi decocto (n. 10.), clysmatique (n. 11.); antispasmodicam enim illam eſſe docuit praeter alios Clariſs. *Chomel* ††††), *Sauuages* a), *Tiſſot* b), *Bouteille* c).

§. XXIII.

*) Diſſ. de Valeriana officinali Linnaei, Erlangae 1776. §. XXI.

**) Diſſ. c. §. XIX.

***) L. c. p. 55.

†) *Gedanken iüber die Heilungsart der fallenden Sucht. p. 131.*

††) Gazette ſalutaire, A. 1776. n. XIX.

†††) An. Med. 1. p. 103. 164. A. 2. p. 228. 286.

††††) Pl. Vſuelles, T. 1. p. 228.

a) Noſol. Method. T. 3. P. 2. p. 231. Ed. in 8uo.

b) De Epilepſia, p. 310. 311.

c) Iournal de Medecine 1777. p. 544.

§. XXIII.

Arnicae Radix.

Nulla hodie tantis extollitur encomiis planta, ac arnica, qua multi iique contumaciſſimi chronici morbi vincantur, docente Illuſtri viro, ad plantarum vires abditas eruendas, aut a tanto abhinc tempore pene ſepultas denuo renaſcendas nato, *Collino.* Paralyſis toties a me aliisque practicis Arnica fugata, et poſteros incitabit ad ſummas Inventori reddendas grates, qui non ſubſiſtens in morbis chronicis eam et in putrida febre experiri voluit; quare eandem praegreſſis euacuationibus debitis pulſu humili, celeri, debili in ſubſtantia ſat magna dosi exhibuit, eo cum proſpero ſucceſſu, vt *partem quintam* immortalium *ſuarum obſeruationum* erudito orbi communicare valeret. Docuit enim in hoc opere, radicem hanc vires vitae excitare, roborare ſolida, obſtructa reſolvere, putredini potentius Cortice Peruviano reſiſtere, nervis amicam eſſe; haec me impulerunt, vt eandem in dira hac epidemia periclitarer: quare illam aegris, quibus ob diarrhoeam remedium (n. 8.) dare non auſus eram, quibusque pulſus mollis, debilis, frequens erat, arnicam Cortici iunctam (n. 9.) ſimulque illam, vbi diarrhoea nimis exorbitabat. ſcopo roborante antiſepticoque in ſubſtantia (n. 14.) exhibui. Verum continuus fere vomitus, anxietatesque ſummae poſt ejus vſum ſemper obſeruatae, me ab vlterioribus tentaminibus inſtituendis, proſequendis deterruerunt.

§. XXIV.

Camphora.

Nobile eſt remedium in febre putrida, maligna, imo et in ipſa peſte, nam:

a) Antiſepticam eſſe, docent vnanimi ſenſu Cel. Practici, notaque eſt venatoribus ars carnes a putredine praeſeruandi per eam.

b) Pulchre exanthemata ad cutem propellere, retropulſa denuo ad cutem reuocare norunt, et vident quotidie Medici in variolis, miliaribus *etc.* Quin miliaria alba in rubra mutari non ſemel cum aliis in hac epidemia vidi.

c) Anthelminticam illam eſſe, docuit experimentis in inſectis inque hominibus inſtitutis Cel. *Aug. Dieter. Prange* *).

d) Denique et inſigni antiſpasmodica vi pollere docet ſummus ejus vſus in morbis convulſiuis.

Quare eam aegris, quorum pulſus parvus, debilis, ſed aequalis, mollis erat (juxta mentem Cel. *Quarini* **), quibus diarrhoea aderat, delirium inſtabat, petechiae aut miliaria apparebant exhibui cum radice Serpentaria Virginiana, Valeriana Sylueſtri, Corticeque Peruviano (n. 10.) parua tamen doſi, nam a majori tentata cardialgiam excitari obſeruaui: ſic vires labaſcentes exci-

*) Diſſ. de Camphorae virtute anthelmintica, *Götting.* d. 25 Octobr. 1759. in ſummi vſus L. c. Cl. *Baldingeri* Vol. II. p. 125.

**) L. c. p. 55.

excitaui, exantheinata ad cutem propuli aut retropulſa ad cutem duxi, putredini reſtiti, ſpasmos ſuſtuli, vermes necavi, quin et ſomnum adeo refractarium cum ſummo aegrorum leuamine procreaui.

Vidi ego in hac epidemia, fuiſſe aegros quin et aegras, quae Camphoram ferre non potuerunt.

§. XXV.

Aër fixus.

Si vllum remedium medicorum diligentiam, attentionem, ſcrutiniumque poſtulat, eſt aër fixus, de quo integros tractatus Cel. Angli medici ediderunt, eduntque, quemque praeſtantiſſimum, potentiſſimumque hactenus dictorum, cognitorumque antiſepticorum ſtatuunt, praeeunte cel. *Macbridio*, *Prieſtley*, et poſt hos cel. *Percival*, *Withering*, *Rotheram*, *Hey*, *Dobſon*, *Hulme*. etc.

Vomitu in febribus malignis exorbitante, dabat feliciſſimo cum ſucceſſu *Riverius* ſalis abſinthii ſcrupulum vnum cum ſucci limonum cochleari vni mixtum *): naſcitur hac ratione efferueſcentia, qua aër fixus extricatur. Iure meritoque igitur remedii hujus inuentor haberi poteſt *Riuerius*, licet quomodo malignis opituletur morbis, non nouerit: hodie teſtibus cel. *Whytt*, *Barry*, *Lind*, *Pringle*, *Macbride etc.* ſpecificae antiſepticae vi aëris fixi dicta vis tribuitur. Docuit enim experimentis Cel. *Macbride*, aërem fixum carnem iam iam putreſcentem ab odore putrido liberare, conſiſtentioremque

*) Praxis L. IX. Cap. 7. de nauſea et vomitu.

remque reddere; retinet enim aërem fixum in putrescente corpore (quo absente putredo), putredinem vero sistit, absorbendo in se particulas putridas, teste Cel. *Macbride*, *Percival.* Hic celeberrimus Vir multa ea propter cum eo instituit tentamina, reperitque eum esse menstruum *calculi*, *) et post eum Cel. *Nathanael Hulme* **) opitulari *cancro*, idem ***) et *Magellan* †) laudat, Cel. *Percival* in *morbis putridis* ††), in *ozaena* †††), in *angina maligna* a), in *scorbuto* b), in *phthisi ulcerosa*, plus quam 30 aegris exhibuit c) *etc.*

Nolo hic de singulis agere, solum quid in putridis, malignis febribus valeat aër fixus, dicam. Plures sunt Medici Angli, qui post Cel. *Priestley*, et *Percival* aërem fixum extollunt, in his febribus, tanquam remedium antisepticorum princeps, ad idque in desperatissimis casibus, tanquam ad sacram anchoram confugiunt.

Ad hunc extricandum impraegnant

imo. Vinum, aquam, aut potum ordinarium aegri aëre fixo, vel eius in locum exhibet mustum,

*) *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte.* 3. B. S. 497. 646. 660.
**) *Anzeige eines sichern und leichten Mittels.*
***) C. *Sammlung* 2. b. 1. st. S. 150.
†) L. c. 3. B. S. 722.
††) L. c. 2. B. 1. St. S. 152. 3. B. S. 505
†††) L. c. 3. B. S. 690
a) L. c. 2. B. 1. St. S. 152.
b) L. c. 2. B. 1. St. S. 154.
c) L. c. S. 149.

muſtum, cereuiſiam fermentantem Cel. *Percival* *).

2do. Forma vaporis pulmonibus attrahendi, ſecundum mentem Cel. *Rotheram* **). Erit fors quis, qui objiciat ex *Macbridio*, eum auim incluſiſſe vitro aëre fixo pleno, quae breui tempore mortua eſt, vnde ſunt nonnulli Medici, qui ab hoc aëre fixo inſpirato periculum vitae amittendae metuant. Verum repetita experimenta docuerunt, eum nihil tam pulmonibus ſanis, quam morboſis nocere, quin imo videmus ex Cel. *Percival*, eum in phthiſi extolli, et ex balneis mineralibus euaporantem nihil obeſſe ***).

3tio. Aut in *mixtura Riueriana* (n. 15.), vt Cel. *Dobſon* †), eius efficaciam quatuor caſibus demonſtrans. Sumitur haec vel in actu efferueſcentiae pro doſi, repetiturque omni hora, vel ſuperpotatur ſuccus citri, vt in ventriculo efferueſcentia naſcatur; poſterior priore praefertur methodus.

Vt in hac epidemia nihil intactum relinquerem, circa finem eius 30 ſelegi ciues, quibus hanc mixturam omiſſis Cortice, Camphora *etc.* exhibui eo cum fructu, vt ex iis non niſi tres perderim, quique carbunculis, ſtomacace laborarunt, verum nonniſi tardius prius dictis remediis ſalu-

*) L. c. 2. B. S. 152.
**) Vide §. VIII. n. 1.
***) S. L. c. 2. B. St. 1. S. 148.
†) L. c. 3. B. S. 505.

tem attulit, vnde propriam adferre possum experientiam, et omnes oro medicos, vt vlteriora cum ea instituant tentamina, nullum ego inde damnum vidi, si ingratam sensationem, de qua plerique post eius assumptionem conquesti sunt, excipias, quae tamen momentanea tantum erat.

Cel. vero *Nathanael Hulme* *) eundem cum Cortice Peruviano, spirituque vitrioli (n. 16.) exhibuit, dabatque inde omni bihorio cochlearia duo, vbi neruinis opus erat; eadem quoque addidit huic mixturae.

Verum licet omnibus explendis satis faciat Cel. vir, semper tamen dubitari poterit, an Cortex Peruvianus, an Spiritus vitrioli, an vero aër fixus ex saturatione extricatus, salutem attulerit? Hunc Cel. virum secutus in mea praxi, salem tartari addidi decocto Corticis Peruviani (n. 1. 8. 9. 10.) non solum, vt plus de cortice aqua solueret, sed et vt obtinerem aërem fixum.

4do. In *clysmate*. Nihil perniciosius est in febribus putridis, ac diarrhoea, quae in morbo hoc plerumque colliquatiua erat. Haec vbi adstringentibus sistitur, remanent impuritates putridae in abdomine, pessimaque producunt symptomata; vbi vero sibi permittitur, vires, quae adhuc supersunt, amittuntur, morsque sequitur. Inuolvendum ergo putridum, corrigendumque: hunc in finem commendat Cel. toties laudatus *Percival*,

*) L. c. p. 66.

cival *), aërem fixum ex mixtione cretae cum oleo vitrioli expulsum, ano ope instrumenti clysmatici pro fumo tabaci injiciendum. Adfert exemplum puellae febre putrida decumbentis cum pessimis symptomatibus diarrhoeaque foetidissima, huic praeter vinum, balnea pedum, vesicatorium ad humerum, omni bihorio aërem fixum dicta methodo ano injecit, felicissimo cum successu **). Confirmat efficaciam eius Cel. *Hey* ***), qui monuit, vt indagaretur, quidnam nitrosus aër, qui secundum experimenta Cel. *Priestley* magis antiseptícus est priore, quique ope acidi nitri expelli potest ex omni corpore metallico, excepto zinco, in febribus putridis praestiturus sit.

Et hoc ego in hoc morbo, vbi diarrhoea minitabatur mortem, intentatum non reliqui, dictaque methodo in intestina adegi aërem fixum, licetque non omnibus salutem tulerit, velut ipse Cel. *Percival* confitetur †), nam morbus maior artem eluſit, tamen plures seruaui hac methodo ex ciuibus.

§. XXVI.

Altera hoc in morbo indicatio erat, *vires vitae conseruare*, *labascentes erigere*; indicata ergo erant car-

*) L. c. 2. B. St. 1. S. 153.
**) L. c. St. 2. S. 97.
***) L. c. 3. B. S. 2. 68.
†) L. c. 3. B. S. 277.

cardiaca ſtimulantia, neruina, velut Serpentaria virginiana, camphora, opium, vinum, ſinapismi, veſicantia, ſpiritus cornu cerui, eſſentia caſtorei, moſchus.

§. XXVII.

Opium.

Multi medici antiqui, vbi morbum malignum eſſe opinabantur, ad alexipharmaca et bezoardica confugerunt, in quorum miſcela ſemper opium eſt; alii effervescentiam, quam ſibi in febribus male imaginati ſunt, compeſcere eodem ſtuduerunt *). Recentiores medici hodiedum inter ſe litigant, an illud in putridis conueniat febribus? multi ſepticum, multi e contra antiſepticum ſtatuunt opium.

Demonſtrauit Cel. *Schwenke* **), ab eo, aqua ſoluto, attenuari et fluidiorem reddi ſanguinem; *Freindius* ***) animalibus per venam iniecit opium, et in interemptis tenuem, et rutilum deprehendit ſanguinem. Et magnus *Tralles* †) affert in cadauere iuuenis, qui drachmam vnam opii aſſumpſit, paulo poſt mortem tumores liuidos, corruptelam omnium liquidorum, et intolerabilem foetorem enatum fuiſſe; plures denique Cel. medici his viris et ſuum adiecere ſymbolum, inter quos maximus opii inimicus in variolis inque morbis putridis eſt Cel. *Tiſſotus* ††), et Cel. *Quarin* †††) teſtatur

*) Vide Cel. *Tralles* de Opio Sect. 2. p. 173.
**) Haematolog. p. 188.
***) Emmenolog. in oper. T. I. p. 117. ſeq.
†) L. c. p. 182. 183.
††) L. c. p. 131.
†††) L. c. p. 47.

teſtatur, aegros, quibus opium exhibitum, poſt mortem citiſſime putreſcere. Anno 1775 curandum habui litteratum virum, qui ſtudiis, laboribusque exhauſtus comate vigili per 14 infeſtabatur dies, noctesque, huic, vt ſomnum procurarent tres medici Cracouienſes hoc ſpatio vnciam vnam et ſemis opii tam per os, quam per anum absque vllo effectu vel ſalubri vel noxio ingeſſerunt, excepta ſola ſenſuum hebetudine; huic mox ad me delato haemorrhoides fluebant, ſanguis tenuis, nullum craſſamentum exhibens, oculis ſe obiiciebat, ſolis cardiacis nutrientibus, moſchoque a me ſanatus, hodiedumque ſanus vivit, vxorem duxit, functionesque ſuas cum laude proſequitur. At non omnes ita felices ſunt, maiori enim doſi a chirurgis exhibitum, vidi excitaſſe ſodam, grauitatem in ventriculo, ſpasmum cynicum, laxitatem maxillae inferioris, tumorem labiorum, difficilem reſpirationem, delirium, maniam, pruritum in cute, nauſeam, vertiginem, vomitum, ſingultum, animi deliquia, apoplexiam, ſudores frigidos et mortem. Vnde, licet quidam auctores in deſperatiſſimis caſibus, vt tetano, ileo, etc. illud magna doſi exhibeant, tyronem medicum tamen numquam eo adducant, vt veſtigia illorum ſequatur, incertus enim euentus famam illius labefactare poſſet. Sed e diuerticulo ad rem.

Econtra docuit Cel. *Pringle* *) opium carni additum eam a putredine praepedire longe efficacius ſale marino; non diſſolui, ſed potius coagulari et ſpiſſari ſangui-

*) L. c. App. Experim. 10. n. 2.

ſanguinem credunt Cel. *Alſtonus* *), *Mead* **), *Lettſom* ***) confirmans hoc exemplo vetulae, quae per 14 annos plus quam 63 libras tincturae thebaicae, aliquot vncias puri opii illaeſa ſanitate, et non diſſoluto ſanguine aſſumpſit.

Verum nihil me horum virorum morantur argugumenta, propria experientia edoctus, illud ſepticum eſſe; ſed nec reliquis conuenit opium explendis indicationibus in his morbis, nam:

1mo. Exhibent Angli Medici opium ad tumultus ab emetico aſſumpto natos compeſcendos; ſed teſtante *Geoffroi* nocet opium, vbi natura euacuatione eget: in hac febre etiam poſt vomitum aluus liberior requirebatur, tum, vt putridum in inteſtinis iam forte haerens euacuetur, tum vt materies impacta per actionem emetici mota, ſoluta, et ad inteſtina lata eliminetur.

2do. Exhibetur, vt nimius febris impetus compeſcatur. Dum ſcilicet omnibus prius memoratis iam adhibitis manet nihilominus nimia velocitas, et orgaſmus humorum hiſce praemiſſis ſedari huc uſque non potuit, tum ad opium confugiunt. Verum teſtis eſt experientia, opium cordis motum concitare, et conſequenter circuitum ſanguinis cum fortiori impulſu accelerare; obſerua-

tur

*) Med. Eſſays. Vol. V. p. 160. ſeq.
**) De venenis. Opera, edit. Gott. T. II. p. 190.
***) Medical Memoirs of the general diſpenſary in London for part of the years 1773, and 1774. p. 119.

tur hoc, ſi poſt id aſſumptum pulſus exploretur; ab hoc citato ſanguinis circuitu neceſſe eſt augeri febrim.

3tio. Vt aluo ſymptomatice medeantur; verum nihil illud profuiſſe dicam, dum de diarrhoea verba facturus ſum.

4to. Vt vigilias minuant, ſomnum concilient, noctesque tranquilliores reddant. Vigiliae continuae vna ex praecipuis cauſis eſt, quae coctionem materiae morboſae impedire poteſt, ob ingentem, quae tum fit, iacturam ſpirituum. Gaudent vero ſemper medici, dum aegrum talem blandus aliquot horarum ſomnus inuadit, ſperant ſcilicet, vt natura concentratis nunc viribus, coctioni intenta, huncce perficiat. Verum cum tot aliis et ipſe expertus ſum, in his febribus opium vel ſomnum nullum vel adeo turbatum cauſare, qui aegrum plus debilitet, ac reficiat. Non imaginaria hic adfero, ſed ex obſeruationibus ductas concluſiones.

Exulabat ergo opium, illa panacea vniuerſalis, c noſtra epidemia.

§. XXVIII.

Vinum.

Omnes in eo conſentiunt medici, aegris nimium debilibus, neruoſisque pathematibus affectis, quibusque febris juſto minor, quam quae coctioni peragendi ſufficit, vinum exhiberi debere; quare illud mox in principio periodi ſecundae aegris adeo debilibus, vt lipothymia afficerentur

rentur, quibusque exanthemata ſub cute latuerunt, quaeque ob debilitatem ad cutem propellere natura non potuerat, aut ob eandem retroceſſerunt, pulſuque debili molli, ſubſultibus tendinum, ſingultu et caeteris ſymptomatibus in tertia periodo dictis, vinum album generoſum hungaricum, purum, aqua dilutum, ſpirituque vitrioli acidulum redditum ad vncias duas, tres, immo et quatuor (in tertia periodo) omni bihorio exhibui, ſimul interne dedi mixturam n. 13. Sic vires vitae excitaui, putredini potenter reſtiti, ſubſultus tendinum, ſingultumque feliciſſime ſuſtuli, exanthemata ad cutem populi, retropulſa reduxi, verbo, aegros ex orci faucibus eripui, ita, vt confiteri auſim, ſine cortice peruuiano, moſcho, vino, nullum ex hac epidemia conualuiſſe. Continuari iuſſi illud minori tamen quantitate, morbo ex toto ſublato, cum pane biſcocto: ſic aegri ſenſim amiſſas recuperarunt vires et ad ſanitatem redierunt. Cauendum tamen erat, ne illud exhiberetur aut concederetur aegris delirantibus, iisque, quorum pulſus celer et fortis erat ab exanthematibus retropulſis, his enim exhibitum mortem acceleraſſe vidi in noſocomiis. Vbi vero diarrhoea aderat ſymptomatica, vinum rubrum albo praetuli ob adſtringentem vim.

§. XXIX.

Epiſpaſtica.

Vt vires vitae, quarum conſeruatio tanti erat in hoc morbo, quaeque iam in principio morbi exiguae erant, excitarem, praeter hactenus dicta mox ſuris (non vt plerumque fieri ſolet plantis pedum) epiſpaſticum

cum

cum (n. 17.) appoſui, idque reiterari iuſſi omni 12 hora; ſimul neceſſarium quoque illud erat, vbi ferox delirium morbo accedebat, facies rubebat, oculique feroces erant, inde enim paulo poſt miteſcebant aegri, et ſymptomata leuabantur.

§. XXX.

Veſicantia.

Et de veſicatoriis inter ſe litigant auctores, an illa in febribus putridis tuto adhibere liceat, nec ne?

Ait *Riuerius* *), vbi morbus malignus eſt, vnum non ſufficit, ſed plura apponenda ſunt veſicatoria. In morbis his optimo cum ſucceſſu quinque locis eadem apponere ſolet, nempe nuchae, ambobus brachiis, ſub axillis et humero, duo ad ſuras. Et Cel. *Ettmuellerus* ait **): ſi vlla eſt febris, in qua veſicatoria conueniunt, eſt imprimis petechialis; conſultiſſimum tum eſt, illa mature pedibus, atque brachiis applicare, citat ille *Sanctorium* ***) et M. A. N. C. †). Idem ſuadent plures recentiores practici famoſiſſimi, vt Cel. *Quarin* ††) etc. Neque inficiari poteſt, illa in angina maligna ſummi eſſe vſus.

Qui vſum eorum in hiſce febribus reprobant, aiunt atque vrgent †††), exinde pulſum reddi velocem et febrilem,

*) Oper. p. 541.
**) Oper. Medic. T. II. p. 398.
***) In Method. vitand. errorum p. 841.
†) An. 2. obſ. 214. p. 315.
††) L. c. p. 54.
†††) Ita Cel. *Timmermann.* diſſ. de veſicantium locis, in Cel. *Baldingeri* ſylloge Vol. I. 347.

brilem, etiam in homine frigidiſſimo ſequi calorem praeternaturalem et anxietatem, maxime vero ſitim cum linguae ariditate; porro fauces halitum ſpirare foetidum, et vrinam mingi acrem, lixiuioſam, foetidam, ſanguinemque ſolui in acre, maleque olens, putridum liquamen: cui rei demonſtrandae non tantum allegant facta a *Baglivio* commixtione pulueris cantharidum cum ſanguine eiusque ſero venae ſectione extractis, ſanguinem diſſolutum, et ſerum illud multo liquidius, ſubtiliusque apparuiſſe, ſed vel ipſum aliud eiusdem *Baglivii* experimentum ἀλόγως adhibent in quo canum poſt tincturam cantharidum, quae cum aqua Cardui Benedicti facta erat, venis jugularibus infuſam, eademque enectorum cruor partim diſſolutus, partim coagulatus, nigerrimus, et polypoſus repertus fuit. His aſſentiuntur Cel. Medici *Cloſſ*, *Boerhaaue*, Il. L. *B. van Swieten*, *Langriſh*, *Huxham*, *Tralles*. Cel. vero *Tiſſotus* illa plane in his morbis reiicit, ait enim *): „ex notis irritantibus in vſum praeſertim veniunt, et „omnium citiſſime operantur cantharides, inde more „abruptus emplaſtra veſicatoria primum ſuaſi, ſed pro „votis non ſuccedebant, nouique deinceps non ſucceſſiſ„ſe felicius Cel. *Valcarenghi*; certe numquam veſican„tibus credere, aut fidere tantum potui, quantum „alii indiſcriminatim faciunt **). Teſtatur pariter „*Borelli* nihil auxilii tuliſſe veſicantia, etenim omnes „ad tumulum brachiis, pedibus, et aliis partibus exul„ceratis delati ſunt ***). In memoriam reuocaui ob-

„ſeruatio-

*) Opuſcul. Medic. Tom. I. p. 50.
**) Medicin. ration. §. 351.
***) Epiſtol. ad *Malpighium* p. 28.

„ſeruationem viri in arte egregii Cel. *Richa*, qui in „vtili, nec ſatis noto opusculo teſtatur in febri putri„da Taurinenſi veſicantium applicationem minus pro„ſperam compertam fuiſſe, additque paulo poſt, vbi „humores ad fluorem proni ſunt, vbi acriores iidem, „ac effrenes, vbi ſufflaminandus potius quam ſtimu„landus cruor, nihil iis noxium magis, nihil perni„cioſius etc. *)".

Verum nimis rigoroſus eſt *Tiſſotus*, nam:

1mo. Ab effectibus, vt ait Cel. *Carſon* **), quos ex„trauaſato et ſeparato ſanguine cantharides pro„ducunt, dubia nimis et incerta deducuntur, „eosdem procreari effectus cum in ſyſtema cor„poris intromittantur. Hac ratiocinandi metho„do nihil leuius, aut magis incertum". Impoſſibile dictu eſt, quot, quantasque mutationes ſubeant, priusquam ſanguini ſe immiſceant, nec, quam ibi formam induant, opinari licet. Praeterea, ſi concedamus, eandem manere formam, quam vaſis abſorptum, ori ingeſtum exhibent, nihilominus fieri vix poteſt, vt tam exigua quantitas ſanguini immixta tam mirandos gignat effectus. Incredibile quidem et abſurdum eſt credere, vnum aut alterum cantharidum granum quinquaginta, vel ſexaginta ſanguinis libris admiſſum, huius lentorem et viſcoſitatem attenuare poſſe. Si igitur parua quantitas in ſyſtema intro-

*) Conſtit. Epidem. Taurinens. Anno 1720. §. 32.
**) De Cantharidum operatione, hiſtoria, et vſu in Cel. *Baldingeri* Sylloge c. Vol. IV. p. 186.

intromissa, et diffusa, sanguinis massam mutare nequeat, nec insignes illos effectus, qui obseruari solent, producere: cum ex alia parte satis constat, exiguam admodum portionem interuentione vesicatoriorum absorberi; nam unius granum dimidium, ore sumptum, in vesicae vrinariae cerüice magnos interdum edet effectus; dum, e contrario, vesicatoria cuti applicata nullos huiusmodi effectus edunt; vnde colligendum est, minorem longe quantitatem in systema intromitti, quam si per os insumatur, quae proinde nullam potest in sanguine mutationem inducere. etc.

2do. Cantharides non putrefaciunt, teste Cel. *Pringlio* *).

3tio. Vt Cel. *Timmermann* ait **): effectibus suis, et sequelis saepe terribilem illam inflammatoriam siue spasmodicam, sopores siue deliria, detentionem siue retrogressum materiae criticae exanthematicaeue, patrantem, irritationem intraneam, nullis fere aliis remediis perinde tuto ac efficaciter tollendam, contra - irritatione euertunt, dum interea simul tempus lucrifit ad caetera necessaria agenda, facile alias a nimio morbi irritamine praeuertendum. Non inficior, multi aegri febribus putridis malignis conflictati, quibus vesicatoria adhibita fuerant, mortui sunt, sed et alii plures,

*) Experim 22. p. 380. Append. Libr. c.
**) L. c.

plures, iisdem febribus affecti, quibus nullae cantharides appositae, aeque mortis praeda facti sunt. Qua de re confidenter ad omnium Practicorum, qui et suas, aliorumque cum vel sine cantharidibus institutas felices juxta ac infelices curationes sine praeiudicio attenderint, et inter se contulerint, experientiam prouocare ausim. Non igitur culpa mortium ex febribus putridis in vesicantia, sed in ipsas illas febres, febrium periculosissimas, recidit; vesicantia in iis faciunt aliquid vtilitatis, sed vt non omnia ita nec putredinem per se inuertere possunt.

Audiamus denique Cel. *Ludwigium* pulchre de his differentem *). Quadam constanti experientia certum est, vesicatoria quoque in hoc morbo maligno contagioso (erat febris putrida cum petechiis) vtilia fuisse. Disquirendum autem erit, in quibus aegris, et quo tempore, ac loco rite adhibeantur. In omnibus quidem aegris nostris morbo afflictis, remedium hoc, quoniam neruosum systema excitando miasma malignum commouet, tentari et debet et potest in robustioribus, succiplenis, et mollioribus aegris. De his vero tenendum est, dispositionem ad suscipiendam et propagandam malignitatem maiorem esse, ita, vt quamvis nihil noceant, tamen nihil magnopere prosint. Nos quidem sperauimus in his potissimum aegris, a cantharidibus facile laedendis, et forte ad nimiam humorum resolutionem disponendis, sinapismos — — meliorem

*) Aduersar. Medico. pract. Vol. I. P. I. p. 59. 60. 61.

rem habituros esse effectum: sed euentus contrarium declarauit; parum enim, vel nihil mutatus est morbi status, indeque perspeximus sinapismos hos non vniuersalem, vt vesicatoria, sed partialem tantum, ideoque minus sufficientem, edere effectum. etc.

Vnde et ego in his epidemiis ad mentem Cel. *Huxhami* aegris soporosis cum pulsu debili, paruo, intermittente, inaequali, tremoribus, oculis caliginosis, deliriis ferocibus, sed obscuris, suris duo, brachiisque totidem admoui vesicantia feliciſſimo cum successu; sic cordi, arteriisque deficientem stimulum addidi, quo sanguinem multo celerius, quam antea in circulum agerent, torpentes et quasi sepultas excitaui vires, febrim induxi artificialem, exanthemata praedebilitate retrogressa denuo ad cutem propuli, spasmisque simul mederi potui. Nunquam tamen ea initio morbi salutaria, sed potius pernicioſa esse vidi; vnde cum Cel. *Vnzero* *) concludo, eos, qui vesicatoria timent, eorumque vtilitatem in his morbis conuellere nituntur, experientiam non consuluisse, vel illa mox in principio morbi apposuisse.

Vidi in nonnullis loca, quibus vesicatoria applicata fuerunt, gangraenosa fuisse reddita: an ab absorpto eorum sale volatili alcalino, et in massam humorum delato? praegressa scarificatione vsque ad viuum, non omissisque internis remediis, velut mixtura n. 13., locum *oleo Terebinthinae* bis per diem eo cum successu illiniri jussi, vt suppurationem accelerarem, qua cutis, et

*) *Der Arzt V. Band. S. 305.*

et adeps gangraenoſa a ſubiectis viuis ſeparabatur partibus. Laudauit illud Cel. *Plenk*, praefertque Cortici Peruuiano, Spirituique vini *).

§. XXXI.

Spiritus C. C. Eſſentia Caſtorei.

Inter tot millia acute decumbentium, experientia didicit Cel. *Quarin* **), aegris plurimis, qui pulſum tremulum inaequalem, intermittentem, ſed mollem habebant, mixturam ex ſpiritu C. C. et eſſentia caſtorei, ſanitatem reſtituiſſe. Id ipſum in his epidemiis confirmare poſſum, addidique in ſimilibus caſibus mixturae n. 13. loco moſchi, ſpiritus C. C. eſſentiae caſtorei ana drachmam vnam, quin et drachmas duas.

§. XXXII.

Moſchus.

Vbi vero poſt vſum ſpiritus C. C. eſſentiae caſtorei pulſus leuiter durus factus eſt, Moſchum ſubſtituit Cel. *Quarin* ***).

Iam ab antiquis temporibus antiſpasmodicae vires in moſcho reperiebantur, ſic illum in compeſcendis infantum paſſionibus epilepticis efficaciſſimum ſe deprehendiſſe, teſtatur *Fridericus Hoffmannus*. Illuſtriſſimus commentator *Boerhaauii* aphoriſmorum narrat, ſe octenni puellae pulchrò cum ſucceſſu per vices alio alioque tempore dena moſchi grana dediſſe, atque

*) Mater. chirurg. p. 454.
**) L. c. p. 55.
***) L. c. p. 56.

inde ſaliuam, ſudorem et vrinam per plures dies ita moſchum redoluiſſe, vt propter nimiam fragantiam inaſſuetae aegrotae moleſtus fieret. Denique fere plerique medici eum tam potens cardiacum antiſpasmodicumque remedium confitentur, vt aegros, licet neci iam proximos, ſaepe ad miraculum ſeruauerit. Verum tamen plerique Materiae Medicae ſcriptores eum non niſi maximis cum cautelis ſeruatis exhibent, idque in minima doſi, plerumque non vltra granum vnum. Cel. *Fullerus* non vltra grana duo praeſcribi praecipit; Cel. *Bates* nimis rigoroſus eſt, et vltra granum ſemis pro doſi non exhibet, excipiendo *Iulapium hyſtericum moſchatum*, in quo grana quinque moſchi habet. Cel. *Schröderus*, et *Lemery* non vltra IV. V. Cel. *Quarin* *) grana IV. *Hermannus* grana quinque, monet tamen Cel. *Boeckler* **) caute mercandum eſſe cum illo, praecipue apud foeminas; cum enim ille motum humorum celeriorem reddat, facile haemorrhagiam narium excitare poſſet. Aeque timidus eſſe videtur *Iunkerus* ***); nam poſteaquam refert illum in morbis neruorum, aliarumque partium a multis extolli, addit, vſum internum eius, niſi minima exhibeatur doſi, excitare validum humorum motum, neque ſatis confirmatam eſſe eius vim in debellandis grauibus morbis.

Chinenſes non adeo timidi, vt nos, illum pro doſi ad ſcrupulos duos exhibent, vti refert *Du Halde* †).

In

*) L. c. p. 147.
**) Annotationes in *Hermanni* Cynoſuram P. II. p. 39.
***) Conſpect. Therap. generalis p. 18.
†) Hiſtoria Chinae.

In puluere Tunquinenſi aduerſus hydrophobiam adeo laudato, XVI grana moſchi pro doſi exhibentur. Legi varios Cel. Auctores, qui de hydrophobia ſcripſerunt, et ab omnibus fere hunc puluerem velut ſpecificum depraedicari, obſeruationibusque confirmari legi. Tales adeo felices curationes non potui adſcribere cinnabari, cum haec, vti obſeruationes docent, nunquam per ſe tales producat, hinc moſcho adſcripſi, cumque hac doſi ſumptum nunquam nocuiſſe, quin potius fere ſemper profuiſſe legerim, poſteaque ab Anglis Medicis edoctus fuiſſem, maiorem doſim eius praeſcribi; ſtatui me nacta occaſione illos velle ſequi, pauloque poſt circa medium Nouembris 1774 accepi curandum panni textorem *Bart* —, qui febri ſynocha putri cum diſſolutione humorum laborabat, huic cum in abſentia mea varia bezoardica a chirurgo data fuiſſent, tandem 14 morbi die acceſſit ſingultus, ſopor, ſubſultus tendinum atque conuulſiones topicae, pulſus erat celerrimus, debilis, intermittens, vrina et aluus inſcie dimiſſa, lingua ſicca, nigra, facies cadaueroſa. In hoc periculoſiſſimo ſtatu veſicantia ſuris admori, viresque moſchi experiri volui, quare praeſcripſi puluerem n. 18. omni trihorio ſumendum. Hora elapſa a ſumpto vno puluere ſingultus, qui antea fere perpetuus erat mitior factus eſt, ſecutus ſudor per vniuerſum corpus moſchum redolens, tertia aſſumpta doſi ſingultum, conuulſiones, deliria euaneſcere laetus vidi, neque amplius redierunt haec ſymptomata, et aeger paulo poſt, ab omnibus pro perdito habitus, conualuit.

Hic felix ſucceſſus fuit mihi incitamento, vt omnibus aegris in his epidemiis, quibus pulſus debilis, celer, inaequalis erat, ſubſultus tendinum aderant, ſingultus, tremores, oculi caliginoſi, conuulſiones, exhibuerim in mixtura n. 13. grana viij. ad xvj. feliciſſimo cum ſucceſſu, ſemperque ſomnum et ſudorem leuantem inde obſeruaui. Vbi mors auerti non potuit, nil profuit, ſed et aliud praeſtantiſſimum remedium nihil profuiſſet.

Fuere tamen nonnulli aegri aegraeque, quae eius odorem ferre non poterant, ſed hae tantum paucae erant: his eius loco datus Spiritus C. C., eſſentia caſtorei, non tamen tanto cum ſucceſſu; vnde, ſi unquam, certe in his epidemiis verum erat effatum Cel. *Salomonis Alberti* dicentis *): ita me hercle moſchus neceſſarius, vt ſi uſura eius medicinam orbaueris, ipſa mutila protinus ſit, ac diminuta.

§. XXXIII.

Tertia indicatio erat *proſpicere vrgentibus ſymptomatibns.* Praecipua eadem erant lipothymia, haemorrhagia, tuſſis, aphthae, ſtranguria, iſchuria, peruigilium, tympanites abdominalis, bubones, carbunculus, anthraces, ſcorbutus; de his nunc dicendum, de reliquis iam dictum.

§. XXXIV.

Lipothymia.

In paroxyſmo lipothymiae motus cordis, qui caloris vitalis omniumque viriuin fons exiſtit, ciiſſime reſtituen-

*) Vide Cel. *Neumann* Chymiam Medicam dogmatico-experimentalem Editionis ſecundae 1756. Tom. II. p. 249.

ſtituendus erat; quare frictiones artuum pannis laneis inſtitutae, naribus ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis admotus.

Poſt paroxyſmum morbo, cuius ſymptoma extitit, debellando dicta adhibebatur opera.

§. XXXV.

Haemorrhagia.

In hac epidemia haemorrhagia, ſiue ea in principio, ſiue prouecto morbo contigit, ſemper mala erat; nam nunquam illa cum euphoria contigit, ſed ſemper cum damno. Sanguis enim cum impetu excretus, tenuis, floridus erat, necque facile in frigore coeuns, pulſum infringens, omniaque exaſperans ſymptomata, exanthemata, ſi aderant, repellens. In hoc ſtatu mixturam n. 19. exhibui, ſimul pinnis narium immiſi turundam ſolutione n. 20, madidam, tamdiuque in naribus reliqui, donec poſt vnum alterumue diem ſponte elapſa fuit.

§. XXXVI.

Tuſſis.

Plurimi in hac epidemia tuſſi, noctu praeprimis affligente, vexabantur. Hi ſputa aut nulla, aut ſpumoſa eiiciebant, pauciores puriformia, de dolore in thorace, niſi vbi illa diu durauit, conqueſti non ſunt; reſpiratio erat facilis, ſolus ſcrobiculus cordis dolebat, fauces, guttur quaſi a fumo acri irritari, dixerunt. His dedi loco decocti hordei cum ſpiritu vitrioli de-

coctum altheae cum floribus verbasci oxymelle simplici edulcoratum, non omissis internis morbo primario conuenientibus. Vbi sputa cocta inceperunt prodire, exhibui expectorantia n. 21, sic illam breui debellaui.

§. XXXVII.

Aphthae.

Aphthae hoc in morbo apparentes liuidae, nigrae, plerumque confluentes, pessimi ominis erant. Ortae enim sunt ab vniuersa massa humorum corrupta: quibus necrosis gingiuarum necdum aderat, opem attulit linctus ex roob dianucum alumine rupeo, spirituque salis acido n. 22. qui pro vehementia mali augendus erat; simul iis, quibus mens constabat, elui os gargarismate n. 23. praecepi saepius per diem; sic multum pituitae cum emolumento prolicitum fuit, crustae aphthosae lapsum inoui, et vlcuscula relicta mucilagine seminum cydoniorum consanaui.

§. XXXVIII.

Stranguria.

Multi aegri aegraeque iam initio morbi, de quibus constitit cathetere, nullo vitio in vrethra laborare, conquesti sunt de dolore ante, sub, et post mictionem, guttatimque emissa vrina continuo ad mingendum stimulo, et tenesmo non absimili ani. Hoc symptoma in febribus putridis pessimi ominis esse, aiunt quidem medici; ego tamen in hac epidemia, hoc symptoma nec bonum nec malum esse, perspexi: nam orta est haec stranguria vel a vi morbi, vel ab acribus particulis

cantha-

cantharidum abſorptis, et ad veſicam delatis; neque, vbi a ſola vi morbi oriebatur, periculoſum erat, dummodo cum auxiliis moras non necterem. Quare juſſi regionem pubis pannis laneis fumo baccarum iuniperi imbutis fricare, perungi poſtea vnguento n. 24.; vbi haec nihil iuuabant, oleum lini recens in vrethram felici cum ſucceſſu inieci. Vbi vero ab acribus particulis cantharidum abſorptis proueniebat, praeter dicta auxilia camphora, remedio morbo ſymptomatibusque congruo, addita deſideratam opem attulit.

§. XXXIX.

Iſchuria.

Iſchuriae verae, iisdem ex cauſis natae, dicta paragrapho priori remedia auxilio erant; vbi vero haec fruſtranea erant, cathetere vrina educebatur. Bono illa erat omine, plerumque enim cum bonis ſymptomatibus criſim per vrinam futuram deſignabat.

§. XL.

Peruigilium.

Hoc adeo refractarium ſymptoma, in hoc morbo opio non vincibile *), imminui linteo aqua roſarum cum aceto roſaceo madido ſyncipiti et temporibus applicato, emulſioneque ex ſeminibus papaueris albi. Vbi his non ceſſit medicaminibus, illud ſoli naturae reliqui.

*) Vide §. XXVII. n. 4.

§. XLI.

Tympanites abdominalis.

Tympanites abdominalis a putredine humorum et viſcerum in abdominis cauo oriebatur. Putredine enim ſolidorum et fluidorum partes corruptae nexu ſoluuntur; ſubito ille contingebat, et in immanem molem intumeſcebat abdomen. Hunc quidem peſſimae notae, quin lethalem omnes fere agnoſcunt medici; ſanauit tamen nonnullos Cel. *Quarin* *, fomentis appoſitis ex mentha, roremarino (quibus ego ſcordium, et rutam adieci) vino incoctis, bene expreſſis linteis, ſimulque clysmata ex decocto Corticis et chamomillae iniici ſuadebat. Eadem methodo me plures ex orci faucibus eripuiſſe, ſuperius dixi **). Ex pluribus hunc mihi liceat adferre caſum: Die vigeſimo ſecundo Ianuarii a. c. hora decima matutina a ſacerdote oror, vt cum eo feminam T. F. morbo putrido grauiter decumbentem adirem. Ingreſſus cubile amicos amicasque eiulantes vidi, deſperabundasque de ſanitate amicae reſtituenda; accedens lectum, in quo aegra iacebat, illam continuo ſingultu, conuulſionibus topicis, comate comatode laborare, diarrhoea teneri, faecesque aluinas vrinamque in lectum dimittere cognoui, abdomen vero in tantam molem inueni expanſum, vt ventrem grauidum nouem menſium ſuperaret; pulſus erat celerrimus, debilisque, morbi dies erat decimus ſeptimus; a chirurgo hucusque peruerſa methodo tractata. Dum omnes certam mortem expectant, aquam ipſi offero, cum vero

*) L. c. p. 64.
**) Vide §. XX.

vero eam deglutire non poſſet, mox mutato conſilio de interno remedio, clysma n. 11. iniici curo, abdomini fomenta ex mentha, roremarino, ſcordio, marrubio vino incoctis appono, extremitatibus vinum calidum obuoluo omni altero minuto, ſic aegra ſe mouere, hauſtumque aquae poſtulare incipit, pulſus inſurgit, et abdomen ſenſim collabitur. Mox reiterari clyſma iubeo, veſicantia ſuris apponi, interiinque omni hora cochlear de mixtura n. 13. ſumi. Veſperi aegrae ſtatus adeo mutatus erat, vt quae morti proxima fuerat, nunc ſenſim ad ſanitatem recuperandam properaret, quam hucusque illibatam conſeruat. In ſimili caſu, vbi aegris deglutitio reſtituta, cortex peruuianus, qui antea intra nycthemerum ad vncias duas exhibitus erat, porrigendus erat ad vncias quatuor. Sed et a clysmatibus ex aëre fixo in ſimilibus periculoſis caſibus circa finem epidemiae pulchros effectus me obſeruaſſe, alibi retuli *). Detumeſcente abdomine, illud faſcia lata ſenſim magis magisque conſtringendum erat.

§. XLII.

Bubo.

Bubones in peſte die tertia vel quarta erumpentes ſymptomatum leuamine ſalutarem promittere euentum, omnes ii conſitentur medici, quibus peſti mederi contigit. In deſcripta epidemia bubones, quos vidi, tam in viris quam feminis, nonniſi vna aut altera die ante mortem eruperunt cum exacerbatione omnium ſymptomatum viribusque, quae adhuc paucae ſupererant penitus

*) Vide §. XXV. n. 4.

nitus ablatis; ſubito glandulae inguinales aut ſubaxillares intumeſcebant ad oui vsque anſerini magnitudinem et intenſe liueſcebant; facta ergo eſt metaſtaſis ad has glandulas, ſed eheu ſemper lethalis. Licet enim mox, vbi illos prodire animaduerti, (prognoſtica nulla erant ſigna) locis, ex quibus prorumpebant, emollientia cum irritantibus appoſuerim, tamen vix binis horis praeſentibus, ſubito diſparebant absque vlla ſubſequente ſuccenturiata euacuatione, et intra paucas horas aegrum certo necabant. Quidquid enim ex irritantibus emollientibusque tentarem, incaſſum fuit; nihil profuit mixtura n. 13., nihil vinum, etſi largius hauſtum; vnde in deſperatiſſimo hoc caſu, vt nihil intentatum relinquerem, quid ferrum poſſet, experiri volui. Quare vbi ſitus vaſorum admiſit, lanceola cruciatam ſectionem fieri praecepi, vulnerique poſtea digeſtiua, et ſuper haec emollientia cum irritantibus appoſui: ſed et haec ob penitus ablatas vires, peſſimaque, et lethalia coniuncta ſymptomata, artem noſtram eluſerunt.

§. XLIII.

Carbunculus.

Vbi natura victrici morbo ſuccumbere videbatur, vel in femoribus, vel in dorſo valida inflammatio ex liuido purpureſcens ſeſe manifeſtauit, quae intra paucas horas in gangraenam abiit pluribus aperturis dehiſcentem, per quas liuida, nigra, foetidiſſimaque panniculi adipoſi fragmenta exiuerunt. De dolore nullo aegri conqueſti ſunt; comatoſi enim tales, et inſenſiles erant aegri. Vbi carbunculum fieri animaduerti, praegreſſa

greſſa ſcarificatione, ad viuas partes usque gangraenoſum butyro antimonii tetigi, dein foui ſolutione ſalis ammoniaci in ſpiritu vitrioli, vt partes mortuas a vivis ſepararem, ſuppurationemque promouerem; interneque corticem peruuianum, vinum, camphoram, acidaque mineralia larga exhibui doſi, ſed haec omnia tanto tamque atroci hoſti reſiſtere non poterant.

§. XLIV.

Anthrax.

Fuere etiam aegri, quibus eadem praegreſſa inflammatio in dictis locis, dictoque morbi tempore deſiit in verum ſphacelum cum eſchara craſſa, nigra. Huic eadem oppoſita fuere remedia, quae carbunculo, ſed incaſſum.

§. XLV.

Neroſis gingiuarum.

Febres putridas ad ſcorbutum praediſponere, docent ſcripta medicorum; cum enim per illas debilitentur ſolida, horumque in fluida actio langueat, neceſſe eſt, humores acriores reddi; dein eadem putridae febris cauſa eſt quae ſcorbuti, ſecundum Cel. *Macbridium*, aëris fixi videlicet defectus, vnde, licet perpaucis aegris noſtris circa initium periodi tertiae gingiuae inflammabantur, ad minimum ipſius linguae attactum ſanguinem fundebant, tantumque foetorem ex ore exhalabant, vt adſtans animo fere linqueretur; ichor perpetuo ex ore effluebat, corpusque hinc inde, praecipue in femoribus ſurisque vlceribus liuidis obſeſſum erat,

venae

venae raninae varicosae erant, quia liber sanguinis transitus ex his venis in iugulares impediebatur, rupturaeque proximae; dentes fere omnes excidebant. Quam acrem corruptelam sanguinis, et celerem progressum gangraenae nonnisi is, qui mecum ad lectum similium aegrorum accessit, credet, cum intra aliquot dies ossa maxillaria et palatum arrosa fuerint. Similes aegri frequentibus lipothymiis affligebantur et in illa perierunt.

Vt malo nascenti obuiam irem, aut remedio n. 25. penicillo excepto tetigi omni hora alterna partes affectas, aut solo spiritu salis acido; interne vero exhibui serum lactis cum spiritu salis acidi magna dosi, videlicet ad libram vnam seri lactis drachmam vnam spiritus salis. Verum hisce auxiliis limites gangraenae ponere impar fui; corticem peruuianum nobilissimum antisepticum in hac gangraena nihil prodesse, plures habent, quare et hic remedium *Hippocratis* vltimum *) ferrum candens nempe, vbi caries incipiens erat, experiri volui, verum et hoc irritum fuit.

§. XLVI.

Supersest, vt de diaeta, deque regimine aegri agam:

Diaeta hoc in morbo erat antiputredinosa, omnia hinc acida, aut acescentia locum habebant. Vbi fructus horaei haberi poterant, ii aegris (nisi diarrhoea laborarent) concedebantur; illi enim aluum liberam seruant, et ob gratum acorem gustui sese commendant, sitim

*) Sect. VIII. Aph. 6.

ſitim et calorem minuunt. Cremor auenae, hordei perlati, jus ex oryza cum ſucco citri aut ſolo aceto vini, quotidianus cibus aegri erat; iura meraciſſima carnium, quibus acetoſa incocta, aut acida reddita non niſi parca copia vna vice haurienda, iis aegris conceſſa erant, qui melius valere coeperunt.

Induſia, et lintea aegrorum conſpurcata, ne putridum denuo per vaſa abſorbentia in maſſam humorum feratur, renouanda erant. Vbi exanthemata prodierunt aut vbi aegri multum ſudarunt, tum lintea ſicca leuiter calefacta ſub induſio madido apponenda, et dein ſubito, vt aura frigidior caueatur, induſium ab homine ſano portatum, calore lecti tepidum redditum induendum erat.

Reliqua ex iis delibari poſſunt, quae in cura prophylactica adduxi *).

§. XLVII.

Hac methodo tractatus morbus deſiit
vel in ſanitatem,
vel in mortem,
vel in alium morbum.

§. XLIII.

In *ſanitatem* terminabatur, vbi vis febris putridum illud irritansque, quod cum humoribus circumferebatur, ita ſubegit, mutauit correxitque, vt de corpore euacuari potuerit excitata ſenſibili quadam euacuatione, quam

*) Vide §. VIII.

quam criticam insignire solemus. Talis in hoc morbo fiebat per vomitum, sudorem, vrinam, diarrhoeam delirium, parotidem, surditatem, saliuationem; bubones vero, carbunculi, atque anthraces nequaquam his annumerari possunt, cum non concoquente et segregante natura bona a malis, sed in cruditate morbi facti fuerint.

§. XLIX.

Vomitus.

Vomitus hoc in morbo natus est vel in principio, vel in *ἀκμῇ*. In principio vel erat symptomaticus, vel criticus; plerosque enim aegros nostros in principio morbi vomuisse, vel cum vel sine leuamine, dixi in morbi historia. Vnde etiam, vbi nullam contraindicans aderat, ille promotus est; aut vbi nausea sola torquebat, arte excitatus, memor illius, quod *Hippocrates* praecepit *): *purgandum esse in valde acutis, si turgeat materia, eodem ipso die; differre enim in talibus malum.* Factum tamen est in non paucis, vt vel natura vel arte excitatus exorbitaret, aegrumque alioquin debilitaret, mulctaretque pessime; his, postea quam demulcentibus acre obuolutum esset atque correctum, exhibitum antiemeticum *Riuerii* n. 15. emplastrumque diabotanon cum camphora et opio regioni ventriculi impositum, aut solus spiritus vini camphoratus eidem regioni illitus, vomitum cohibuit.

E contra fuere aegri, quibus iam in principio arte vel natura excitatus vomitus salutem attulit, adeoque vere

*) Sect. IV. aph. 10. et Sect. I. aph. 24.

vere criticus erat; nam eiecta pituita ductili, foetente cum bile, parca etiam quantitate, (excreta enim numquam ex copia, sed ex qualitate, et leuamine aestimanda esse monuit *Hippocrates* *)) euanescebat paulo post ingrata illa ponderis sensatio ad scrobiculum cordis, oris amarities, nausea foetorque cadauerosus ex ventriculo ascendens. Multos (praecipue a contagio) solo vomitu morbum felicissime effugisse, alibi dixi, exemploque viri, qui indefessus aegris opitulabatur confirmaui **). Si quiuis hoc morbo decumbens medicam quaesiuisset opem mox in prima periodo, certo tam atrocem effugisset morbum.

Ergo sine praegressa coctione crisis perfecta? certe in incipiente morbo coctio non obtinet.

Vomitus in *ἀκμῃ* morbi contingens, pessimus erat, oriebatur enim a retrogressis petechiis vel miliaribus; aegri tales nil nisi medicamenta, potum pituitamque eiecerunt. Ortus ergo est iste vomitus a materia exanthematica per metastasin ad ventriculum deposita. Quum semper in hac epidemia ob nimiam virium jacturam exanthemata retrocesserint, (quod docuit pulsus paruus, intermittens, inaequalis), illae excitandae erant; quare vesicantia suris apposita, vinum tam in potu, quam in mixtura n. 13. exhibitum, cortex peruvianus in clysmate n. 11. (praesente etiam diarrhoea) omni hora aut bihorio iniectus.

§. L.

*) Sect. I. aph. 22.
**) Vide §. XIV.

§. L.

Sudor.

Hic vel in cruditate morbi, vel praegreſſa coctione die bono contigit, adeoque vel *ſymptomaticus* vel *criticus* erat.

Symptomaticus ortus eſt vel a regimine calido, vel a ſaburra putrida in primis viis nidulante, vel etiam a diſſoluta humorum maſſa.

Quod plerique incolae regnorum, quod noſocomia dereliquerunt regimen calidum, cives Bielitzenſes in morbis acutis nec dum abiurarunt, credunt enim firmiſſime, illos tam exanthematicos, quam non exanthematicos, mox ſudore excitato, eoque expreſſo penitus debellari poſſe, vnde puluinaribus, pellibus, ſtraguliſque aegros ſuos adeo cooperiunt, vt vere illos iis ſepultos eſſe videas, ſolliciteque cavent, ne aura frigida eos tangat, manum ex lecto extrahere pro crimine habetur, vnde ſiue ſit hyems, ſiue non, cubilia calefaciunt, in quibus ſaepe tantus eſt calor, vt ipſi adſtantes ſudent, feneſtras tamen arcte claudunt, diaphoreticis, potibusque tepidis ſudoris excretionem vrgent.

Quam peruerſa, quamque peſtilentialis ſit haec methodus, omnes confitentur neoterici medici, ex quibus *Glaſſium* memoraſſe ſufficiat; ait ille *): natura in febribus, vnica excepta peſte ephemeraque britannica, numquam apta eſt materiam febris per ſudorem

*) De febribus Commentar. 10.

remanentea expellere, quam eo elapſo tempore, quod ad coctionem requiritur. Vnde ſudores validi initio febris nati illam non tollunt, quin ſigno ſunt morbi longi et magni et veroſimilius cauſa diuturnitatis mali, (his addo, non numquam etiam mortis), aegris aluum claudunt (euacuatione enim vna aucta aliam imminui, neceſſe eſt), et in putridis circa tempus criſeos diarrhoeam excitant, vbi ii aegri, qui initio morbi non ſudarunt, facilius, et citius morbum ſuperarunt; idem hac deſcripta epidemia confirmatur. In noſtro climate, proſequitur *Glaſſius*, non opus eſt in ſano cutem eſſe humidam, in climatibus calidioribus e contra id proficuum eſt.

Quapropter ex conſilio maximi medici *Boerhaauii* *) mox, cives aegros accedens, juſſi hora una aut ſemi altera puluinaribus dorſo capitique ſubſtratis in lecto ſedere, quotidie integumenta a corpore ſudante ſenſim ipſe amoui non ſine murmure adſtantium, aërem admiſi frigidiuſculum aperiendo feneſtras etiam ipſa hyeme, aegri lectum cortinis claudendo, ne immediate frigidus illos allueret aër, a calidis, calefacientibus, diaphoreticiſque abſtinere juſſi. Sed haec tantum tamdiu obſeruabantur, quamdiu praeſens eram, vbi tergum verterem, peruerſum reuocatum regimen, non niſi perpetuis minis me tales inobſequioſos dereliƈturos, aegrosque, non opinantibus amicis, viſitando obtinui, vt parerent adſtantes.

Sudor in initio febrium putridarum a ſaburra in primis viis haerente excitari poteſt. Cognoſcitur ille,

*) Vide Ill. Commentatoris Tom. II. p. 564.

ſi regimen calidum non obtineat, vt in noſocomiis, ſi adſint ſigna ſaburrae, velut anorexia, amarities oris, foetor peculiaris ille cadaveroſus ex gutture aſcendens, nauſea, vomitus, dolor ad cardiam; evanuit ille plerumque excuſſa de corpore ſaburra vel emetico, vel purgante.

Denique in initio inque incremento morbi ſudor erupit, non calido regimini, neque ſaburrae in primis viis haerenti tribuendus, ſed ſoli diſſolutioni humorum; erat ille plerumque foetidus, copioſus, in nonnullis etiam fuliginoſus, facies videlicet, manus et reliquum corpus ita conſpurcata erant, ac ſi puluere fuliginis aquae immiſto infecti eſſent aegri; non cedebat haec ſpurcities lotioni, ſed immutata perſtitit. Huic generalis medela oppoſita.

Criticus vero ille ſudor erat, qui

1mo. Praegreſſa coctione in ſtatu vel decremento morbi contigit.

2do. Abſente alia euacuatione critica, vt diarrhoea, vrina.

3tio. Febrim imminuit reliquaque morbi ſymtomata *).

4to. Die decretorio vel critico erupit, vnde dixit *Hippocrates* **), *ſudores febricitantibus boni, qui manare coeperint die* 3.5.7.9.11.14.17.21.27. etc. ii enim ſudores morbos judicant, qui vero ſecus, longum morbum et recidiuam ſignificant.

Loqui-

*) *Hippocrates S.IV. aph. 86.*

**) Sect. IV, aph. 36. et Coac. praenot. §. IV. p. 579.

Loquitur hic *Hippocrates* de febribus continuis remittentibus, nempe de cauſo, hemitritaeis, tritaeophyis, in febribus continuis continentibus die 4. 7. 11. 14. 17. 21. etc.

5to. Rigore praegreſſo.

6to. Per totum corpus aequaliter diffudit calidus, guttatim ſtillauit, in vaporesque attollebatur *).

Vbi iſte apparuit, corpus moderate tegere et aërem frigidum cauere iuſſi, medelaeque morbo congruae, ſymptomatibusque ſtrenue inſtiti; vbi ille ob vires vitales languidas jam jam ſupprimi videbatur, illum infuſo corticis ſaſſaffras tepide hauſto ſemper feliciter reuocaui.

Verum tamen nonnumquam criticus hic ſudor lethalis erat, ſi nempe vel alteri criticae euacuationi acceſſit, aut vbi cum illa alia praeſto erat, vt v. g. diarrhoea; vbi enim in acutis eodem tempore duae criſes, ſudor ſcilicet et alui fluxus ſuperuenit, fere omnes mori, dixit *Bagliuius*.

Poſt morbum ſuperatum remanens ſudor, vlteriorem corticis peruuiani vſum expoſcebat.

§. LI.

Vrina.

Vrinam in febribus putridis rariſſime criticam eſſe, adnotarunt Cel. medici. Interim haec epidemia praeſimilibus id peculiare habuit, quod frequens fuerit criſis

*) Idem prognoſt. §. 5. p. 451.

ſis per vrinam, licet illa non abluderet ab ea, quae per totum morbum excreta eſt. Vbi ergo morbus in ſtatu vel decremento erat, vbi coctio praegreſſa, vbi iſchuria vera praeceſſit die 13. 16. 20. (quae citius contigit, ſymptomatica erat ſemper) licuit certo vrinae fluxum criticum praeſagire die 14. 17. 21; fluebat illa praegreſſo tremore totius corporis, parturientibus familiari, magna in quantitate ad libras ter, quatuor, quin et ſex ſimul et ſemel, febrimque ſi non penitus ſuſtulit, certo tamen adeo mitigauit, vt moderata eſſet, omniaque perniciem minitantia ſymptomata pro voto compeſcuit.

Vbi haec critica euacuatio ſubito ſupprimi coepit (quod ſaepe accidit) emollientia fomenta, aut vnguentum altheae, regioni pubis impoſita mox illam denuo reuocarunt.

§. LII.

Diarrhoea.

Maximam attentionem medici in hoc morbo exigit diarrhoea. Quum enim plerique aegri hoc diro morbo decumbentes ab ipſa inuaſione morbi jam eadem afflictentur, et cum ea mundo in aeternum valedicant, multi medici illam pro periculoſo habent ſymptomate, quod ſine mora miteſcendum, quin et compeſcendum eſſet; alii depoſita idea eam criticam eſſe poſſe, illam ſemper pro ſymptomatica habent; ſic in febre petechiali epidemica, quae Viennam ab anno 1757 ad 1759 deuaſtauerat, Cel. *Haſenoehrl* ſuaſu Cel. ſui praeceptoris *de Haen* omnem diarrhoeam in hoc morbo in ſtatu vel decremento morbi etiam contingentem pro ſymptoma-

ptomatica habuit, eamque compeſcuit opio tam interne ſumpto cum cortice peruuiano, quam illo in enematibus iniecto *). Verum ſi & alios conſulimus ſcriptores medicos, quibus ſimilibus epidemiis mederi contigit fatendum erit, diarrhoeam hoc in morbo frequenter criticam eſſe, & aegris optatam ſanitatem reſtituiſſe; id ipſum hac epidemia confirmatum vidi.

Ergo duplex hoc in morbo occurrebat diarrhoea, alia ſymptomatica, alia critica.

Aluum liberam in hoc morbo per totum eius decurſum ſalutarem, quin et neceſſariam eſſe, pluribus locis inculcaui, vnde vbi eadem nycthemeri ſpatio ſilebat, reſerata enemate emolliente; vbi tamen ea in principio modum excedebat, vires vitae, alioquin debiles, plus debilitauit, coctionem impediuit, morbum auxit. Oriebatur autem illa plerumque a neglectis euacuationibus primarum viarum, aut vbi eae ob vim morbi amplius fieri non potuerunt absque periculo vitae amittendae; vnde de ea ſiſtenda cogitandum erat. Quare ſi ſalia media aegris exhibere morbus indicabat, eadem ex medicina omittenda erant, vinum rubrum languente febre concedendum, radix arnicae n. 14. tentanda; cum ab ea tamen mihi abſtinendum fuerit **), mixtura n. 26 omni hora ad cochlear vnum ſumenda ſubſtituta, quibus remediis vt plurimum haec diarrhoea ceſſit.

Prouecto morbo dicta auxilia diarrhoeam maioris jam periculi ſedare nequiuerunt; ruebant enim quaſi humo-

*) Vide eius hiſtoriam medicam morbi epidemici ſiue febris petechialis. Cap. III.

**) Vide §. XXIII.

res per inteſtina, perque rectum eliminabantur, aegris inſciis, faeces nigrae, virides, putridiſſimae, ſpumeſcentes, et vires vitae adeo infringebantur, vt pulſus exiliſſimus faciesque cadaueroſa fieret. Cui ſi opiata, adſtringentia, vt bolus armena, cortex ſimarubae, ſuccus catechu, opponerentur, manſit ſaburra in inteſtimis, quae acrimonia ſua illa irritauit, inflammauit, vel reſorpta intra ſanguinem nouam accendit febrim. Vbi vero diarrhoeą ſibi permiſſa eſt, mors certa omnibus miſeriis finem impoſuit. Inuoluendum ergo corrigendumque putridum erat; hunc in finem laudant plerique medici clyſma balſamicum ex lactis vaccini vnciis quatuor, terebinthina, vitello oui ſubacta drachma vna et theriacae Andromachi vncia ſemis, addito, ſi rebellis erat morbus, ichthyocollae ſcrupulo vno. Enim vero tentatum hoc clyſma ſaepiusque repetitum ſpem meam eludebat. Quare ad mentem Cel. *Perciual* aërem fixum ano inieci *), atque interne dedi mixturae n. 27. optimo cum ſucceſſu magna cochlearia bina omni hora; hac itaque ratione et adſtringens et potens antiſepticum adhibui remedium. Quod enim alumen nimis adſtringebat, id extracti corticis perutiani blande purgantis virtus emendabat absque vllo malo ſubſequente effectu **); pro potu vinum rubrum aqua dilutum ſpiritu vitrioli acidulum redditum exhibitum eſt.

Critica diarrhoea orta eſt a materia morbi cocta ad inteſtina delata. Cognoſcebatur vero illa critica eſſe:

imo.

*) Vide §. XXV. n. 4.
**) Vide Cel. *Quarin* L. c. p. 33.

1mo. Ex praegreſſis borborygmis in abdomine.

2do. Ex praegreſſa coctione.

3tio. Ex leuamine aegri morbique ſymptomatum; remiſſione nempe febris, pulſu ad naturalem accedente.

4to. Ex ſufficientibus viribus praeſentibus in aegro; vbi enim talis diarrhoea contigit aegro jam enervato, licet vinum largius etiam ei exhibitum fuerit, tamen ei perferendae impar erat.

5to. Ex abſentia alterius alicuius euacuationis.

6to. Die decretorio contingente, morboque exiſtente in ſtatu vel decremento.

7mo. Ex aluo pultacea flaua; alias faeces non vidi criticas eſſe.

8uo. Ex praegreſſa ſurditate ſine parotide ſubſequa.

Nihil in hac moliebar; ſed vbi eandem fieri animaduerti, clyſmate n. 6. viam praeparaui *), et pro diuerſitate ſymptomatum remedia porrigebam, viresque vitae, vbi neceſſe erat, vino erigebam.

§. LIII.

Delirium.

Delirium in hoc morbo itidem vel erat ſymptomaticum vel criticum.

Symptomaticum praeſagire licuit ex ſequentibus ſignis; vigiliis ſcilicet pertinacibus, aurium tinnitu,

*) Vide §. XVI. n. 4.

lingua tremula, obliuione, confuſa reſponſione ad interrogata, oculis ſplendentibus crebro motis, floccorum muſcarumque captatione, ſubita manus retractione ſub pulſus exploratione.

Symptomaticum a ſola malignitate morbi in cruditate ortum vel erat mite vel ferox; illudque vel continuum vel intermittens. Cui vt mederer, imprimis ſitum corporis erectum commendaui, ſuris, brachiis duo admoui veſicantia, capiti raſo fomenta ex aceto appoſui. Vbi vero adeo ferox erat delirium, vt aegri per plateas currerent, quibusque facies et oculi ruberent, fixi eſſent, his ad avertendam phrenitidem vtiliter hirudines retro aures admoui; interne vero ea remedia exhibui, quae vis morbi indicabat.

Criticum vero delirium eſſe cognoui: ſi praegreſſa coctione die critico contigit in ſtatu vel decremento; ſi morbum leuauit, et eius ſymptomata; ſi tremor (non ab iſchuria natus) praeceſſit: dixit enim jam *Celſus* *), *cui calor et tremor eſt, ſaluti delirium eſt.*

Dum hoc adeſſe animaduerti, nihil molitus ſum; vbi tamen illud exorbitabat, mitius ſinapiſmo nuchae applicato reddidi.

Accidit, vt morbo ſuperato delirium remanſerit; verum cum per morbum nimis aegri debilitati fuerint, hoc naturae et tempori commiſi. Tales reconualeſcentes, qui in morbo delirarunt, morbo ſuperato quoque adhuc delirabant. Liceat ex pluribus vnicum adferre exemplum. Officialis *Kolm* — hoc morbo peſſime

*) Libro II. Cap. 8.

ſime decumbens, die viceſimo primo morbi critico judicatur delirio, in quo, dum eodem die mane illum adirem, mihi reddit, ſe nocte praegreſſa venatum eſſe pluresque ceruos vrſosque enecaſſe; poſtea mandauit ſeruo ſuo, vt mihi tres traderet. Hic vbi reſanatus eſt, per plures menſes de eadem venatione, deque eodem dono confabulabatur, neque niſi ſenſim erroris conuinci potuit. Tales aegros euacuantibus tractare vetitum eſt, cum inde obſeruauerint Cel. medici immedicabilem ſtultitiam ſequi.

§. LIV.

Parotis.

Nec deerant aegri, licet pauci, paroditibus iudicati. Has fieri ſuſpicari licuit, ſi genae ſolito magis rubebant ſurditasque aderat; iſta ſigna docebant, materiam febrilem critice verſus glandulas parotides deponi. Naſcebantur illae plerumque praegreſſa coctione die decretorio, iisque, ſi vires vitae non admodum fractae erant, febris eiusque ſymptomata imminuta fuere.

Cum in hoc morbo diſſolutio humorum obtinuerit, operam et aegrum ſuum perdidiſſet ille, qui blandam reſolutionem horum tumorum expectaſſet, vt enim illa fiat, requiruntur humores blandi, motus ſedatus et cauſa obſtruens non nimis ſolidata. Quare omni vi in eo adlaborandum erat, vt ſuppuratio promoueretur, ad quam obtinendam plurimi ſuadent cataplaſmata apponere ſedulo, vnoque refrigeraſcente mox aliud apponi. Verum praeter id, quod eadem

non

non tam frequenter, vt neceſſum fuiſſet, in tanto numero aegrorum, reiterari potuiſſent, frigefactaque retropellere potuiſſent parotidem, etiam pondere ſuo aegris moleſta ſunt; vnde ſuadet eorum in locum ſubſtituere Cel. *Quarin* *) emplaſtra gummoſa, vt diachylon cum gummatibus, de galbano crocatum diſpenſatorii Viennenſis. Si vel pro minima parte tumorem eſſe mollem reperi, mox lanciola eundem incidi curavi, digeſtiuisque tractaui, vt accelerarem ſuppurationem. Vſu enim didici, fruſtra hic chirurgos expectare tumoris pro maxima parte mollitiem fluctuationemque puris; nam opinione citius pus acre fit, ſanguinem iterum intrat et aegros occidit, niſi alia ſuborta ſuccenturiata euacuatione.

Ex pluribus, quibus abſceſſus aperti, vix trium memini, quibus pus non fuiſſet ſanioſum, ſpecillumque non decoloraſſet, muſculos non abſumpſiſſet, ſinus non feciſſet; ſi vero vires vitae conſtiterunt, illaeque cardiacis conſeruatae fuerunt, ſpes non omnis abiecta eſt, licet pauciſſimi ſeruati fuerint.

Ipſa natura tamen meliorem oſtendit viam. In nonnullis aegris enim parotides vix fientes ſubito diſparuerunt, delata materia critice ad inteſtinorum canalem ex eodemque per aluum euacuata cum ſumma euphoria, mitigata nempe febre, eiusque ſymptomatibus, vnde natura clyſmatibus adiuta **).

§. LV.

*) L. c. p. 30

**) Vide §. XVI. n. 5.

§. LV.

Surditas.

Surditas in hoc morbo naſcebatur vel praegreſſa coctione vel morbo exiſtente in cruditate. Si praegreſſa coctione, tum obſeruabatur die decimo quarto vel decimo quinto vel etiam tardius, praeceſſitque non raro parotides, aut (quod frequentius) aluum bilioſam; vnde bona erat repente nata ſi vires vitae conſtabant, ſi alia praua ſymptomata, neruorumque mala non aderant. Vnde dixit *Hippocrates* *): *quibus per febres aures obſurduerint, perturbata aluus ſoluit morbum.* Et alibi dicit: *quibus ſurditas adeſt, bilioſorum deiectione finitur* **).

Vbi vero eadem nata eſt in morbi cruditate cum viribus vitae fere eneruatis, pulſu exili, debili. intermittente, praeſente diarrhoea, ſingultu, conuulſionibus aliisque prauis ſymptomatibus, lethum indixit *Hippocrates* ***).

Surditas morbo terminato adhuc perdurans, ceſſit ſoli vapori fabarum ad mollitiem coctarum ope infundibuli auribus admiſſo.

§. LVI.

Ptyalismus.

Ex innumeris aegris, quibus mihi mederi contigit, quadraginta aliquot habui, qui ſaliuae copioſiori effluxu integre

*) Sect. IV. aph. 60.
**) Sect. IV. aph. 28.
***) Sect. IV. aph. 49.

integre iudicati ſunt (mira certe criſis variolis fere ſolis propria) circa diem decimum quartum, decimum ſeptimum, viceſimum primum (haud prius), praegreſſa coctione intumeſcebant glandulae colli et aurium, gingiuae ſubito plus rubebant, calebant et tumeſcebant, quin et caput tumidum ſeſe conſpectui dedit, aluus ſuppreſſa per unum alterumue diem, dein ſecuta excretio vberior ſaliuae, ita, vt per diem duas tresue libras ſaliuae tenuis eiecerint tanto cum leuamine, vt omnes hi aegri, qui antea comatoſi jacerent, et ſubſultibus tendinum, ſingultu, aliisque prauis ſymptomatibus vexarentur, atque de quibus dubia ſpes ſanitatis eſſet, nunc extra omne periculum ponerentur. His collutoria cum oxymelle emollientia praeſcripta impediuerunt, quo minus ſaliuatio ante perfectam ſanationem ſuppreſſa fuerit.

Fors erit quis, cui haec criſis non placebit, huic illud Terentianum repono:

Tu, ſi hic fuiſſes, aliter ſentires.

§. LVII.

Deſinebat hic morbus in *mortem*, ſi eius tanta erat ferocia, vt tenerrima vaſa cerebri cerebellique laeſerit, aut ſi inflammationem cito in gangraenam deſinentem excitauit. Diſſoluti nempe humores aliena vaſa intrant, illorum vltimas anguſtias tranſire non poſſunt, hinc inflammatio et inde gangraena, id ipſum docuit Cel. viros Anatome.

§. LVIII.

§. LVIII.

Terminabatur vero in alium *morbum*,

1mo. Si materia febrilis nec resolui, nec critice euacuari perfecte potuit.

2do. Si deposita fuit materies critica in vasa quaedam obstructa, dilatata.

3tio. Si notabilius solida alterauit.

Hinc frequens videre erat morbum hunc desiisse in bulimiam, oedema pedum, hydropem, rheumatismum serosum, ischiatidem neruosam, paralysin, scabiem putridam, febrim hecticam.

§. LIX.

Bulimia.

De hac jam alibi egi *); medela ei, excepto purgante antiphlogistico, quod cuilibet ex morbo reconvalescenti exhibitum est, nulla opponi potuit. Concessum tamen est ius carnium tenue, panatella saepius per diem sed parca copia ad semel, custodes ponendi, ne alium acciperent cibum et famem suam coacti sunt tolerare, quae vt plurimum intra ter quaterue dies desiit.

§. LX.

Oedema pedum.

Morbo superato post vnum alterumue diem multi aegri plerumque dextrum pedem oedematosum reportarunt.

*) Vide §. V. n. 4.

tarunt. Erant ex his nonnulli cum obſtructionibus viſcerum abdominalium, alii ſine his.

Qui obſtructionibus laborarunt, iis ſpecies amaricantes D. V. forma infuſi exhibebantur; ſi his non ceſſerunt, ter per diem pilulas ſoluentes (n. 28.) exhibui, ſimul ſuaſi frictiones lenes pedis cum pannis laneis fumo ſuccini imbutis, et dein faſciis obuolui ſpiritu menthae, et aceto rutae irroratis, easque prout humor imminuebatur, in dies magis conſtringi praecepi. Haec feci ex conſilio Cel. *Quarin* *). Vbi vero nulla viſcerum abdominalium obſtructorum ſigna aderant interne martem cum cortice peruuiano exhibui (n. 29.) ſumendo mane hora tertia pomeridiana ſextaque veſpertina vaſculum ad Roſoglio; ſimul ſuaſi lenem motum corporis, prandium ex iure carnium tenui, cui incocti erant funduli, carnem teneram pulli aut vituli, ab ouis autem carnibusque durioribus diu illos abſtinere juſſi.

§. LXI.

Hydrops abdominis ſeu Aſcites.

Nonnullis aegris, ſpernentibus negligentibusque oedema pedum, pedes ſemper magis praeprimis de die intumuerunt, mane vero imminuebantur, humor ſenſim magis aſcendebat, donec aliquot poſt morbum elapſis ſeptimanis ipſum abdomen occuparet, iugulum et pectus emaciari coeperunt, facies pallere, ſitis vrgere, et quo plus ſunt potae, plus ſitiebantur, aquae; dum aeger ſe ſe in lecto vertebat, aut abdomen manu

*) L. c. p. 65.

manu pulsaretur, altera oppolita fluctuatio percipi potuit, abdomen dolebat, febris lenta aderat, vel etiam aberat, anxietas per interualla vrgebat, respiratio laboriosa, appetitus bonus, aluus segnis et tarda, vrina fere sanorum similis in mediocri quantitate excernebatur, hypochondria mollia erant, nulla suspicio scirrhi (qui enim scirrho laborarunt, icterici perierunt) pulsus celer, debilis, subdurus.

Causa huius hydropis erat debilitas per morbum inducta et a morbo relicta, vnde necesse est laxitatem corporis nasci: haec commixtionem seri et cruoris sufficientem impedit, vires mouentes nimium minuit, vnde fauet congestionibus serosis. Sed cum vasa, porique debiles sint, facilius ab vrgente humore dilatantur, sic serum caua facile ingreditur, ex quibus, cum et vasa absorbentia langueant, quorum virtute absorptio seri fit, nullum est dubium, absorberi illud languidius, vnde hydrops: vt enim inquit Cel. *Tissotus* *): *Si deficit in ramo arboris vis vitalis, succi nutritii motus cessat, sic in venis languescente motu vitali lentescit circulatio.*

Vnde cum hic ascites debilitati originem debuerit suam, sequitur eidem eadem opitulari remedia, quae debilitati contraria sunt, videlicet roborantia. Restituto enim robore sufficiente vasorum, sequitur, et absorptionem naturali modo augendam esse; vnde dixit Cel. *Tissotus: solis vincendus roborantibus hydrops, qui oritur post longum morbum inanitis, et quidem adhibenda sunt, antequam grandescens nouas genuerit causas*

*) Epistol. Medic. varii argumenti p. 115.

cauſas morbificas aliis impugnandas auxiliis *). Hinc commendat ille pro victu toſtas carnes, oua, generoſum vinum **), potui inſtillari ſpiritum nitri ***); pro medicina vero commendat per quindecim dies ſcrupulum vnum mane et veſperi rhei deglutiri, et tandem curam terminare limatura martis cum cinnamomi quarta parte mixta †). Huius in locum ſubſtitui remedium n. 29. Simul ſuaſi lenem motum corporis, vectionem iu curru, equitationem, frictiones lenes abdominis pedumque pannis laneis fumo aromatico imbutis mane et veſperi, et hac ratione omnibus pulchre medebar hydropicis.

§. LXII.

Rheumatiſmus ſeroſus.

Reconvaleſcentes multi aliquot poſt morbum dies de dolore ceruicis, humeri, lumborum, manuum et pedum conqueſti ſunt atroci, dilacerante, ſubito invadente, remittente, locumque mutante. Frequens hoc erat illis malum, quibus durante morbo, aut nulla, aut non ſufficiens per vomitum atque aluum euacuatio ſaburrae bilioſae inſtituta erat. Videbatur ergo morbi materies non ſatis ſubacta, neque perfecta criſi iudicata articulos metaſtatice petiiſſe locumque mutaſſe; hi non febricitabant, dolor ad attactum augebatur, veſperi ingraueſcebat, articulus dolens pallebat, ſine tamen notabili tumore.

His, praemiſſo purgante ex tamarindis mannaque, praeſcripſi pulueres n. 30. de quibus omni quadrihorio vnus in aqua fontana ſumendus erat; vel ma-

lo

*) L. c. p. 119.
**) L. c. p. 122.
***) L. c.
†) L. c, p. 131.

lo non cedente, mixturam n. 31., qua desperatissimos rheumatismos chronicos hucusque felicissime nata diaphoresi fugaui, omni trihorio ad cochlear vnum maius sumendam suasi, simul vesicatorium loco dolenti apposui, quod magnam copiam seri viscidi, flaui eduxit. Raro opus erat, illud alteri articulo, in quem saepius dolor ex articulo, cui vesicatorium appositum erat, transferebatur, apponere, cum ille breui, mixtura dicta, fugatus sit. Pro potu erat decoctum radicis bardanae. Victo sic rheumatismo, sedulo admoniti sunt aegri, ne temere sese aëri frigido exponerent; inde enim recidiuas passi sunt. Simul ad promouendum perspirationem inceptam iussi sunt articulos antea dolentes fricare pannis laneis fumo aromatico imbutis bis per diem.

§. LXIII.

Ischias neruosa.

Aliis eadem materia morbi, metastatice deposita ad coxam, veram excitauit ischiatidem neruosam posticam; atrox continuus in initio, dein intermittens, hos excruciauit dolor, sequens decursum nerui ischiatici, dies noctesque saeuiens, noctu tamen adeo auctus, vt lectum derelinquere aegri coacti sint; claudicabant tales aegri, dum enim pedi affecto insistere vellent, dolor ad animi deliquium vsque auctus est, febris initio obseruabatur, dein euanuit.

Huic malo eadem opposita remedia, quae rheumatismo serosо *), ea tamen cum differentia, quod hoc in casu vesicans latum apposuerim ad caput fibulae, siue ad externam genu partem, methodo Cel.

*) Vide §. praecedentem.

*Cotunnii**) cum maximo ſemper leuamine; loca veſicantibus exulcerata diu fluere permiſſa ſunt, quare vnguentum digeſtiuum iis illitum fuit.

Simul ſuaſi motum corporis, vectionem, equitationem, abſtinentiam a lecto molli, plumeo, ſed ſtramini, culcitrae incumbere.

§. LXIV.

Paralyſis.

Mira ſane eſt ea metaſtaſis, quam nunc conſidero. Aegri non pauci, quos jam iudicatos ſanitatique jam jam proximos eſſe credebam, brachium, pedem, vel dextrum vel ſiniſtrum, absque vllo praegreſſo, vel praeſente dolore aut tumore, mouere non poterant, cum ſenſu ſuperſtite (duorum ſaltem memini; quibus et ſenſus adeo perierat, vt acubus pungi poſſent, absque ſenſu doloris) frigebat pars affecta eamque grauem eſſe aeger conquerebatur. Facta ergo eſt depoſitio materiae putridae non ſatis ſubactae, neque perfecta criſi euacuatae ad neruos.

His aegrotis methodo a Cel. *Collin* tradita medebar. Praemiſſo itaque purgante eccoprotico per epicraſim (a reſinoſo peſſime illos mulctari obſeruaui) dedi infuſum florum arnicae a drachma vna ad tres, in libra vna aquae; nauſea, vomitusque inde natus continuato eius vſu euanuit, ſimul puluerem n. 30. mane et veſperi exhibui, frictiones panno laneo fumo maſtichis, benzoes, baccarum lauri imbuto ter quater per diem ad leuem vsque ruborem cutis ſuaſi; qua finita, peruncta bene eſt pars affecta linimento n. 32. Cel. *Stoel-*

**) Vide eius commentarium de hoc morbo §. L. ad vsque LIV.

Stöllers *), his longo tempore continuatis pàrti paralyticae rediit motus, etsi abesset sensus ille, ita vt asserere audeam, qu emque paralyticum sanatum esse. Remansit quidem debnitas in parte affecta, verum haec temporis tractu sponte dissipata est.

§. LXV.

Amaurosis.

Et hanc post morbum putridum debellatum vidi in vnico milite triginta annorum cholerici temperamenti, qui in nosocomio Grodiicienſi morbo hoc putrido decubuerat sine exanthematibus; hic morbi die vigesimo primo diarrhoea perfecte iudicatus est, ita, vt vigesimo octauo die ablegaretur ad reconualescentium cubile, redibant sensim vires, accessit bulimus, cui tamen viriliter obstitit, noctu bene dormiit, aluum quotidie consistentem pultaceam deposuit, non febricitabat, ipseque bene se valere dicens exitum ex nosocomio postulauit. Verum die trigesimo quarto, a quo in nosocomio erat, conqueri coepit de debilitate ac caligine oculi dextri, de sensu telae araneae circa oculum obuolitantis, et ante omnia obiecta expansae. Oculus examini subiectus nullum exhibebat vitium, pupilla erat naturalis amplitudinis, immobilis, sanae similis, bene colorata; die trigesimo septimo nihil se cum oculo videre lachrymans conqueritur, nullum denuo vitium in oculò deprehenditur, pupilla viuidae luci expositа se se non constringebat. Quae huius guttae serenae causa? anne fors materiae biliosae, putridae

*) *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern, und aeussern Heilkunst. Gotha. p. 147.*

quid in corpore remanſit, quod in neruum opticum, inque retinam depoſitum eſt? anne vero ſola imbecillitas retinae per morbum inducta, adeoque debilitas vniuerſalis aderat? Verum cur vnus videt, alter non videt oculus? an ergo topica debilitas? Methodus medendi huic fauet; praemiſſo enim purgante antiphlogiſtico, vaſis relaxatis robur amiſſum reſtituere anniſus ſum. Ea propter interne corticem peruuianum cum radice valeriana ſylueſtri exhibui, pro potu vero aquam fontanam cum pauxillo vini, externe lintea octies complicata omni horae quadrante renouata fronti et temporibus appoſui, ſic quo magis aeger ad ſanitatem rediit, quoque plures recuperauit vires, eo magis imminuebatur amauroſis, ita, vt his ſolis vſus remediis binos poſt menſes aeque valentem haberet hunc oculum ac ſiniſtrum.

§. LXVI.

Scabies putrida.

Plurimos milites noſtram in ciuitatem aduenientes ſcabie humida laboraſſe, eamque peruerſa methodo in maſſam vniuerſam humorum repreſſiſſe, alibi dixi *). Plerisque ex his a morbo putrido reſurgentibus, viribus jam jam fere reſtauratis, veſiculae cryſtallinae adnodum ardentes atque prurientes, ſenſim in inflammationem abeuntes, et dein in vlcera magnam copiam puris fundentia eruperunt per vniuerſum corpus, ipſa facie non excepta; haec ſenſim in cruſtas ex viridi cineritias abierunt: his caput dolebat, veſperi febris acceſſit.

Aegris iſtis purgans eccoproticum omni octiduo datum eſt; pro medicina vero oleum vitrioli a Cel. *Gahnio*,

*) Vide §. V. inter retenta.

Gahnio, *Cothenio*, *Helmichio*, *Baldingero*, *Schroedero* adeo laudatum in hoc morbo n. 33. **) ſumendo drachmam vnam, morbo prouectiori eiusdem drachmas duas in vnciis ſex aquae fontanae bis ter per diem, vlcera vero et cruſtas ſcabioſas vnguento albo camphorato emoliui; ſic ſpatio trium ſeptimanarum omnes hi ſanitati integrae reſtituti ſunt. Ex his ne vnius quidem recidiua affecti memini. Ratio ea eſſe videtur, quod ſcabie hac, quidquid nociturae materiae in corpore eſſet, ad ſuperficiem cutis eliminatum fuerit.

§. LXVII.

Febris hectica.

Denique multi reconvaleſcentes ad priſtinas vires redire non valuerunt; nam poſt paſtum et veſpertino tempore de calore acri, mordace, volatico potiſſimum in volis manuum ſunt conqueſti, ſudor viſcidus volas manuum et frontem occupauit, genae roſeae erant, pulſus celer, frequens, debilis, vrina erat aurantii coloris cum cuticula pingui, tuſſis ſicca eos excruciabat, totum corpus adeo emaciabatur, vt dein verum ſceleton repraeſentaret, ſicque accedente diarrhoea, aut ſudore colliquatiuo mundo vltimum vale dixerint. Hi ergo vera hectica febre laborarunt. Sed et erant, qui ſimul phthiſici eſſent; hi ſputa craſſa purulenta eiiciebant, tuſſis illos noctu maxime vexabat ſomnumque auferebat. Licet his morbis debellandis decantatiſſima huc vſque auxilia, vt cortex peruuianus, lichen islandicus, radix polygala, lac, etc. adhibita fuerint, pauci tamen ex iunioribus ſeruati ſunt, ſeniores vero miſeram ducunt vitam.

**) Vide *mediciniſche Commentarien von einer Geſellſchaft der Aerzte in Edinburg I. Theil S. 121. 122.*

§. LXVIII.

Vltima denique indicatio erat *praepedire recidiuam.* Non ea mihi felicitas, quae Cel. *Haſenörhl* *) in epidemia Vindobonenſi 1757 — 1759 contigit. Teſtatur enim ille, neminem curatum cortice peruuiano paſſum eſſe recidiuam. Milites enim plerique methodo hucusque dicta tractati non ſemel, ſed ſaepius recidiuam paſſi ſunt, cuius cauſa plerumque erat vitium in ſex rebus non naturalibus commiſſum **). Sed et ſaepe eadem orta eſt, cuius cauſa expiſcari non potuerit. Eius ergo euitandae cauſa ſedulo inuigilabatur reconualeſcentibus a chirurgis infirmariisque, ne in re quapam delinquerent. Victus antiſepticus continuabatur atque ad eliminandam fors latentem ſaburram, aut materiam morbi per corpus vagam, dabatur tertia a morbo ſuperata die purgans eccoproticum ex manna, tamarindis; cum corticis peruuiani vſu per quatuordecim adhuc dies pergebatur ſumendo ter per diem cochlearia duo n. r. Suadebatur in aura ſerena et tranquilla motus corporis, dabatur ad prandium vinum generoſum album ad aliquot vncias; paucis nihil defuit, quod ad morbum auertendum neceſſarium erat. His dum vltimum adhibeo calamum, denuo iisdem ſymptomatibus tyrannidem ſuam exercet febris putrida aeque feliciter methodo dicta debellanda.

*) L. ſ. c.
**) Vide §. V.

NONNVLLI SELECTIORES
CASVS PRACTICI.

Longum iter per praecepta, breue et efficax
per exempla.

SENECA.

CASVS I.

Nobiliſſimo de ſtemmate nata virgo B M., annorum nouemdecim, ſanguinei temperamenti, gracilis ac tenerae compagis, ſedentariae vitae dedita, progenita a parentibus ſanis, matre irritabili, cauſam ob latentem circa octauam Martii anni 1777 cephalalgia ſaeua excruciata, de reliquo bene valens, medicum quemdam vehementer ſe ſe iactantem, pro ope ferenda aduocat. Is absque vllo examine, vt medicum decet, inſtituto plethoram vniuerſalem pro cauſa cephalalgiae accuſans, mox eidem e brachio dextro ſanguinem detrahit, (ego quidem, quantum ab anamneſi tardius inſtituta cognoui, clauum hyſtericum acerbos illos dolores capitis fuiſſe, concluſi), cumque dolores capitis perſiſterent, reiterari venae ſectionem poſt tres elapſos a prima dies in eodem brachio iubet, verum infeliciſſimo cum euentu; ſubſtitere quidem dolores capitis, at ſecuta ab hora ſeptima matutina, ad nonam vſque horam durans matutinam, cardialgia adeo ſaeua, vt eiulans prae dolore a vicinis audiretur; ſequenti die eadem hora repetiit cardialgia terminata eadem hora qua prior paroxysmus. Neſcio quo temerario auſu nominatus medicaſter, nulla habens ſigna ſaburrae in ventriculo hoſpitantis, eidem emeticum ex *ipecacuanha tartaroque emetico* propinauerit, poſtea *tincturam rhei aquoſam cum magneſia nitri* omni bihorio cochleatim ſumendam, ſimul ſacculos calidos ex *avena toſta* regioni epigaſtricae apponi juſſit. — Qui vel tyro medicus eſt, mox videt hanc cardialgiam periodicam ſub facie

febris

febris laruatae aegram noſtram afflixiſſe, cum integris quinque ſeptimanis quotidie ab hora ſeptima matutina, ad nonam matutinam, adeoque per duas horas ſaeuiret, poſtea aegra ſat bene valente. — Quum his remediis aegra non leuaretur, dictus medicaſter eidem denuo e brachio detrahit ſanguinem ad vncias duodecim, credens omnia haec plethoram cauſare, quam fors a parcius fluentibus catameniis foueri male perſuaſus erat, rite enim illos fluentes habuit, licet non per octo dies, vt amicae habere volunt. Vix clauſo vulnere en tota conuellitur, nil deterretur dictus vir, iurat a plethora illam conuelli, nouum detrahi vult ſanguinem. Amicis vero ſapienter reluctantibus, praeſcribit *mixturam ex aqua ſcorzonerae, nitro, vngula alcis, cranio humano, puluere epileptico marchionis, addito ſyrupo acetoſitatis citri*, pro potu vero commendat ſolam *aquam frigidam fontanam*; victumque ſuadet antiphlogiſticum. Non redit quidem ſequenti die cardialgia, ſed peior longe morbus, nimirum conuulſiones topicae, jam globus hyſtericus, jam aſthma conuulſiuum, jam tetanus maxillae etc.; iubet tamen eidem inſiſti mixturae: at cum per plures ſeptimanas hanc absque vllo ſenſibili leuamine aegra ſumeret, vehementiaque conuulſionum quotidie increſceret, alium Cel. medicum, nunc profeſſorem in celebri vniuerſitate, pro conſilio aduocat aegra. Is ſuadet *ſuccos ſoluentes ex gramine, taraxaco bibendos quotidie ad vncias ſex cum ſeri lactis libra vna;* his aegra vſa eſt absque vllo leuamine ad diem decimam nonam vſque ſeptembris, quo meam implorat opem. Ego adueniens, antequam quidquam praeſcriberem, prius in cognitionem morbi, eiusdem

cauſae,

cauſae, ac medelae ad hanc vſque diem adminiſtratae peruenire adniſus ſum, vnde obſeruatorem ſolum per quatuor dies egi, hanc vidi morbi faciem: mane euigilans mox globo hyſterico et aſthmate conuulſiuo detinebatur, vna brachium vtrumque conuellebatur, vt et muſculi abdominales; artus inferiores a conuulſionibus immunes erant; loquela difficilis, labia oris, muſculi faciei alternatim conuellebantur; facies eſt rubra; fere qualibet media hora vrinae aquoſae limpidae depoſitio; debilitas tanta, vt lecto detineri debuerit; pulſus celer, debilis; ſenſus omnes perſtant. Durabant haec ſymptomata alternatim, ita, vt modo haec, modo illa conuelleretur pars ſine intermiſſione, ſi id excipias tempus, quo aegra comedit, bibit, medicamentum ſumit, loquitur, tum enim et globus hyſtericus et conuulſiones pro tempore ſubſiſtunt. Aluum quotidie ſanis ſimilem depoſuit, menſes ante octiduum cum exacerbatione conuulſionum rite fluxere. Noctu ſat bene dormit, niſi quod jam brachium, jam facies conuellatur, excitata vero ex ſomno, omnia ante dicta ſymptomata redeunt.

His rite diiudicatis ac penſitatis, morbum hunc pro paſſione hyſterica habens, praeſcripſi *decoctum ex viſco quercino, foliis aurantiorum, herba rutae, radice valerianae ſylu. poeoniae, addita liquiritiae* radice pro potu ordinario; *pulueres ex foliis vincetoxici, radice poeoniae, ſem. eiusdem, fol. aurantiorum, fl. lilior. conuall. moſcho* omni trihorio ex aqua fontana ſumendos; ſuaſi ſimul *frictiones* pannis laneis fumo ſuccini impraegnatis inſtituendas mane, et veſpe-

re

re in ſpina doſi, nucha et clauiculis; verum ab his deſiſtere debui, cum aegra ab his frictionibus plus irritaretur, et conuelleretur magis. Victum imperaui tenuem ſolis iuribus carnium tenuibus, pullo, carne vitulina, oleribus conſtantem. Mane pro ientaculo bibit chocoladam ſine aromatibus in aqua coctam.

Decocto et pulueribus obedientiſſima aegra vſa eſt ad menſes vſque inſtantes, quos breui affuturos deſignabant conuulſiones vniuerſales, circulus liuidus palpebrarum, dolores ſpinae dorſi, pondus premens ad regionem pubis perceptum. Licet equidem ſciam omnia ſtimulantia horum fluxum adaugere, ſpaſmum tamen in vterinis vaſis arguens, praeſcripſi *mixturam ex aqua rutae, liquore anod. m. H., ſpiritu C. C. ſuccinato, tinctur. caſtorei, moſcho, extracto hyoſcyami, laudano opiato, ſyrupo diacodii* omni trihorio ad cochlear vnum ſumendam, decocto et pulueribus interim omiſſis.

Ab hac ſumpta mixtura ſubſtitere quidem conuulſiones vniuerſales, remanſere tamen dictae ſupra topicae. Menſes debite fluebant, colore a naturalibus non abludentes, atque per octo dies aderant; ſub ordinato eorum fluxu, et ſine magnis turbis, nullo vſa eſt medicamento. Ceſſantibus catameniis denuo decoctum et pulueres ſumpſit, eo cum effectu, vt non jam vtrumque brachium conuelleretur, ſed ſolum dextrum et dum aegra globo hyſterico teneretur, conuulſio brachii penitus ceſſaret, at ceſſante globo, mox brachium conuellebatur. Ita alternabat morbus per totam diem; maius levamen, licet ſaepius ad aegram vocatus, non animaduerti.

Die

Die 3. Nouembris 1777 anni aegra Bielitzium se contulit, vt eo frequentius ei assistere possem.

Die 4. Nouembris ad roborandum systema neruosum praescripsi *infusum martis cum baccis lauri, cortice peruuiano*, *Winteranoque* sumendum mane et vesperi vasculum ad Rosoglio, non omissis pulueribus et decocto. Simul suasi, vt sub eius vsu corpus quantum posset moueret, secundum mentem Cel. *Pomme* balneo vteretur frigido et quidem semel qualibet septimana matutino tempore. Incepit a tepidiusculo, sensim frigidissimam perferens aquam, insedit eidem integris duabus horis, et quod mirandum libera ab omnibus conuulsionibus, hilaris, sana, et fere natans. Praeterea quotidie loco frictionum, quas, vt supra dixi, non fert, abluebatur corpus ad abdomen vsque aqua frigida.

In vniuersum moneo, instantibus catameniis, iisque fluentibus, aegram nullo vsam esse remedio, nisi conuulsiones accederent, tunc enim dabatur mixtura supra dicta.

Accidit, vt 20. Nouembris, ira vehementi praegressa, post dimidiam quintam pomeridianam horam immani colica hysterica prehenderetur: exhibui tunc mixturam dictam antispasmodicam, simulque clysma antihystericum cum opio iniici curaui; quo iniecto colica sedata, et aegra quieta facta ad dimidiam nonam vespertinam, conquesta est tum de nausea, euomuit mucum tenacem, quo eiecto mox singultu sat vehementi corripiebatur cedens tamen cochleari vni mixturae anti-

antiſpaſmodicae. Somnus eadem nocte nullus, licet praeter opium in mixtura, clyſmate, pilulam gr. IV. de *m. p. cynogloſſi* deglutiuiſſet.

Die 21. 22. Nouembris eadem colica eadem hora repetit, iisdem remediis profligata. Die 23. non rediit amplius, quare die 24. eadem continuata remedia, quae ante colicam data erant; atque morbum in eumdem ſtatum, qui ante inuaſionem colicae obtinebat, redactum cernebam. Sicque valebat ad quintam Decembris. Eadem die poſt prandium hora quinta accipit menſes reuertentibus ſolitis conuulſionibus totius corporis; veſperi vero, ira efferueſcens, tetano emproſthotonos per tres horas afficitur, quo durante menſes ſubſtitere, eo finito vero denuo fluentes.

Die 11. Decembris jam altera morbo erat facies. Nox praecedens tranquilla, ab omnibus conuulſionibus immunis tranſigebatur; euigilante vero aegra mox aderant topicae ſeſe inuicem excipientes, continuabantque ad vndecimam horam meridiei, qua ad ſonum horologii tribus ſecutis ſuſpiriis clamoroſis omnes conuulſiones deſtiterunt. Valebat ſic ſatis ſana ad terminum vſque prandii (nempe ab vndecima ad primam horam pomeridianam) quo vix terminato ſubito ingruit globus hyſtericus, dein aſthma conuulſiuum, dein conuulſio brachii dextri, faciei, pedis etc. alternatiue. Hora quarta ſonante, ſuſpiria finem paroxyſmo impoſuerunt, die 12. 13. 14. 15. 16. eadem intermiſſio. Terminato paroxyſmo remanet palpitatio cordis, aut, hac emanente, lipothymia dimidio minuto durans,

durans, qua ceſſante de ſola debilitate, et laſſitudine totius corporis conquerebatur. Ceterum poſt paroxyſmum laeta atque hilaris eſt, et ad omnes actiones obeundas capax, niſi, quod dum per cubile ter, quater ambulet, lipothymia afficiatur breui euanida; pulſus tum eſt celer et debilis. Sic fere bene valens ad duodecimam noctis horam bene dormit absque vlla conuulſione. Nonnunquam eadem hora expergiſcebatur, globo hyſterico et conuulſionibus tenebatur, rarius tamen vltra horam, aut vnam ſemis durantibus, obdormit denuo placideque, donec mane euigilet, repetit tum paroxyſmus eodem modo ac ante dictum. Nullus erat paroxyſmus, quo non edidiſſet clamorem inarticulatum.

Mutata morbi facie, methodus medendi hucusque adhibita mutanda erat. Morbus enim veram apyrexiam habuit, adeoque juſte pro febre laruata habebatur. Quare corticem peruuianum cum radice valeriana ſylueſtri aliisque antiſpaſmodicis iunctis in electuario hac ratione exhibeo die 17. Decembris. Rec. *Aſae foetidae ſcrup. duos; Opii puri gr. vnum; pulu. rad. valerian. ſylu. dr. vnum. Optime inter ſe mixtis adde pulu. cort. peruu. ſelectiſſ. vnc. ſemis, olei caieput gtt. ſex, ſyrup. menthae q. ſ. ad electuarium mollius, diuide in doſes numero quinque. Sumat doſin primam vndecima hora meridiei, alteram quinta pomeridiana, tertiam ſexta hora, quartam dimidia octaua, quintam nona veſpertina.* Verum aegra vix dimidia hora elapſa a ſumpta prima doſi illam immutatam euomit, aliasque ob inuincibilem naufeam recuſat ſumere doſes. Quare eidem ſequentem praeſcribo mixturam. Rec.

Aqu. rutae vnc. quatuor, tinctur. ſuccini dr. vnam, extract. cort. peruv. aquoſ. vnc. ſemis, valerianae ſylu. dr. vnam, laudani opiati grana duo, elaeoſacch. caieput dr. vnam cum ſemiſſe, ſyrupi diacodii vnc. ſemis. Sumat, vt ſumendum fuiſſet electuarium iisdem horis pro doſi cochlearia duo. Sed nec in mixtura corticem peruuianum ſumere poteſt, quotiescumque enim eum ſumpſit, toties illum euomuit, licet emplaſtrum ſtomachicum regioni ventriculi appoſitum eſſet.

Die 18. Decembris ſuadet mihi Claris. quondam praeceptor meus *Schoretics*, profeſſor praxeos vniuerſitatis Budenſis, cui hic publicas ob innumera in me praeſtita beneficia refero grates, vt *corticem radici Valerianae* nuptum in ſubſtantia tentarem, iisdem horis, vt electuarium. Quare ea adhuc die hoc vti coepit auxilio aegra.

Die 19. Februarii 1778 mane feneſtra aperta, flante vento ſat frigido, paraſynanchem contraxit, breui fugatam remediis congruis.

Vſa ergo eſt pulueribus dictis ad 10 vſque Aprilis, quo ob exceſſum in prandio ſoda correpta eſt, quae *digeſtiuo viennenſi* ceſſit.

Die 11. Aprilis pulueres ſumere recuſat, nullisque adhortationibus adduci potuit, vt pareret, licet in tantum a cortice leuata fuiſſet, vt paroxyſmi duabus horis citius terminarentur, conuulſionesque mites eſſent; quare omiſſis pulueribus denuo *infuſum martis* ad ſyſtema neruoſum roborandum exhibui, ſumpſit illud ad 13 Aprilis.

Eadem

Eadem die circa horam ſecundam pomeridianam vocor ad illam; conqueritur de frigore extremorum, vngues erant pallidi, naſus frigidus, frequentes oſcitationes, tremor corporis. Praedixi febrem intermittentem regularem, quod et ſubſequens poſt vnam horam calor, atque ſudor docuit. Sequenti die eadem hora rediit febris, in vniuerſum per tres horas durans. Tertio die eadem febris (quam diu haec febris illam affligebat, immunis erat ab omnibus conuulſionibus) rediit. Quare, vt hanc quotidianam febrem ſuſtentarem memor aphoriſmi *Hippocratis* *); *Si cui conuulſione aut diſtentione neruorum detento febris ſucceſſerit, morbum ſoluit. Conuulſiones, et neruorum diſtentiones ſuccedens febris ſoluit* **); et, ne naturam turbarem, prorſus ab omni deſtiti remedio. Suaſi fructus horaeos, quibus et paruit aegra; ſed non diu licuit hoc auxilio laetari, exigui adhuc 4 ſecuti ſunt paroxyſmi, non amplius reuertentes. Mirum quantum haec quotidiana febris tulerit auxilii; ſubſtitere conuulſiones omnes, ſubſtitit febris laruata, jam aegra amicas viſitare poteſt, ſcalam ſcandere, hilaris, et ad actiones obeundas facilis eſt, neque quidpiam mali ſenſit, niſi vbi ſcalam aſcenderet, tum enim globo hyſterico, loquela difficili, quin et aphonia non tamen vltra duo aut tria minuta durantibus infeſtabatur. Sic aegro ad 30 Aprilis valebat.

Prima Maii *aquam ſpadanam* bibere coepit ſcopo roborandi neruoſum ſyſtema ſingulis diebus ab hora 7 ad 9 matutinam dimidiam lagenam. Vrinae inde aucta excretio, raucedoque temporaria inducta, dum

*) Sect. IV. aph. 57.
**) Coac. numero 354.

decem lagenas assumsisset, frequentiores fiunt lipothymiae globusque hysstericus frequentior; quare omni alterno die tantum aquam spadanam potari praecepi. Viginti in vniuersum bibit lagenas.

Die 13. a saburra nata ab excessu in cibo diarrhoea correpta est, eliminata ea per *puluerem ex rheo et myrobalanis* jam 14. Iunii ita valuit, vt prima Maii dictum.

Cum die 16. Iunii de appetitu deleto conquereretur, praescripsi sumendum *liquorem visceralem d. v.*

Valuit sic satis bene a solo globo hysstericо quandoque afflicta, ad 10. Iulii vsque, quo conuulsiones topicae interdum de die accessere (adhuc spadanas bibit aquas). Quare illas seponere jussi, denuoque cortice peruuiano cum antispasmodicis vti; verum in omni forma tentatus peculiari quasi idiosyncrasia auersatus, illam per aliquod tempus a remedio liberam esse volui.

Sub vsu aquarum spadanarum aluus quotidie aperta, menses absque vllis conuulsionibus regulares quolibet mense apparuere.

Dum ab omni remedio vacaret, praeter globum hysstericum atque lipothymias, aegra sat bene valuit, amicas visitauit, itineri se commisit, raroque conuulsione topica affecta est. Sic vixit ad initium Nouembris, quo frequentiores iterum fiunt lipothymiae, conuulsiones jam brachium, jam manum, jam pedem, jam labium aliquod oris tenent: metui tum, ne tota

anni

anni praeteriti redeat tragoedia. Quare adhortatus sum aegram, vt denuo corticem sumeret, sed mox vt illum deglutiuit, iam vomitu reiecit, dedi in extracto, dedi eius salem essentialem cum saccharo, sed et haec aegra non tulit. Itaque eius in locum substitui *lignum Quassiae cum antispasmodicis*, hoc remedium sumpsit ad 20. Nouembris, qua die accesserunt menses absque vllis tumultibus; die 28. jam ea rerum facies, quae die 11. Decembris anni 1777.

Die 30. Nouembris in consilium aduocaui Cel. *Keyserlitz*, qui *corticem peruuianum tam in clysmatibus, quam in decocto cum radice serpentaria virginiana, pillulas ex sapone veneto cum extracto corticis peruuiani*, pro remedio proponit. Verum vel oblato remedio, quod corticem reciperet, aegra jam vomitu laborabat; quare sola *antispasmodica* praecipue *moschum* aegrae dedi, quo factum, vt circa 13. Decembris mitior fieret morbus et solus tantum superesset globus hystericus, lipothymiae, per diem 6-8., manusque vtraque cum digitis conuelleretur dictis horis, veluti si organum pulsaret. De reliquo bene valet, absque turbis menstruorum bene digerit, actionesque suas rite perficit. A die 20 omni valedicit medicinae sapienti, empiricamque tincturam auream jactatam et ipsa et eius amica, quae simili decumbit morbi, sumpsit. Hoc anno ad thermas Carolinas profecta est, sed non inminuto morbo inde rediit, huc dum eo est in statu, qui dictus 13. Decembris, statum seruans tempus invasionis et intermissionis. — An aliud sit remedium, huic aegrae eodem modo ac cortex peruuianus

proficuum, ſapientiſſimis meis lectoribus diiudicandum relinquo.

II.

Anno 1778 prima hora poſt meridiem vocor ad braxatorem ciuitatis; ingreſſus cubile die 22. Octobris illum reperio ſtertentem, profunde dormientem, acclamatus aeger, aqua frigide conſperſus, nullum ſignum praebet, membra ſunt laxa, et eleuatum brachium proprio pondere ſtatim concidit, facies erat rubra, oculi rubri, pulſus ſubdurus. Retulit vxor illum ſemper ſanum fuiſſe, de nulloque conqueſtum eſſe dolore, petiiſſe vt illa ei hora vndecima lectum ſterneret ad ſomnum capiendum, ab illa hora illum quaſi ſemimortuum jacere.

Mox accerſito chirurgo ſanguinem e pede detraho, veſicantia ſuris impono, *clyſmaque*, quo plures apoplecticos excitaui, *ex aqua fontana cum ſale communi* iniicio. Verum repetita haec auxilia non niſi vndecima veſpertina hora illum excitant, mox datum purgans antiphlogiſticum per epicraſim, quo copioſae eliminatae foeces, aeger ſanus, omnes artus regens, nonniſi de debilitate queritur. Pulſus eſt debilis, vrina craſſa formans ſedimentum leue bolo armenae ſimile.

Die 23. iterum hora vndecima matutina apoplecticus fit; iniecta ſunt enemata emollientia cum ſale et melle repetita, hora vndecima noctis denuo ad ſe rediens, aeque ſanus ac prius, omnium immemor quae ſecum agebantur. Mox praeſcribo pulueris corticis peruuiani ſelectiſſimi vnciam vnam in doſes duodecim diuiſam,

diuiſam, quas abſumpſit ad decimam matutinam diei 24; rediit febris laruata ſeu apoplexia laruata media vndecima matutina, durans ad matutinam horam diei 25. primam, quo finito mox omni dimidia hora drachma vna corticis peruuiani aſſumenda erat ad nonam vſque, ſic fugatus eſt paroxyſmus die 25. Ne reuerteretur malum, vnciam vnam adhuc corticis aſſumpſit. Sanus ad hanc diem viget.

III.

Anno 1779 die 13. Martii vocor ad officialem *Nat* — inclyti Regiminis *Nugent*, qui praegreſſa pandiculatione, atque oſcitationibus frequentibus, ſeſe immani colica tentari dicit, cauſam in iram praegreſſam reiiciens. Dolor tantus erat, vt hinc inde ſe contorqueret, vomebat ſolam bilem, lingua erat flaua, ſitis affligebat, aluus conſtipata, pulſus celer, debilis, vrina pauca rufa.

Vir hic erat temperamenti cholerici, annorumque 29. quotannis modo febribus intermittentibus, modo acutis laborans.

Cum pulſus celer, debilis eſſet, a venaeſectione chirurgum abſtinere juſſi; ſed eius loco *clyſma ex ſpeciebus emollientibus addito melle* omni bihorio iniectum. Interne vero datum eſt *ſerum lactis tamarindinatum cum terra foliata tartari atque ſyrupo ribeſiorum.* Verum licet haec bilioſa aluo educerent, dolores tamen non ex integro ſedati fuerunt; hora ſexta pomeridiana omnis euanuit dolor, quem matutina nona acceperat.

Die 15. eadem colica bilioſa, praegreſſis oſcitationibus pandiculationibusque, absque vlla horripilatione aut frigore eadem hora matutina rediit, in paroxyſmo eadem adhibita remedia, quae in praegreſſo. Euanida illa tempore apyrexias aeger vnciam vnam corticis peruuiani aſſumpſit in ſubſtantia, ſicque dolorosa colica, quae certo die 17. repetiiſſet, profligata eſt.

Similem quoque colicam, at hyſtericam, omni nocte hora ſecunda reuertentem, paſſa eſt nobilis femina R. plurium prolium mater menſe Septembri itidem cortice peruuiano ſanata.

Item periodice recurrentem ophthalmiam menſe Februario 1779 purgatis primis viis curaui corticis peruuiani vncia vna in D. *Schroe* —

IV.

Atrophiam totius corporis in infantibus ſaepe difficillimam curatu eſſe, non eſt, vt demonſtrem. Hanc in hac vrbe frequenter vidi in ablactatis infantibus; parentes enim gnatos ſuos ad omnia aſſueſacere volentes, illos farinaceis, duroribusque cibis nutriunt, quin pater vna cum filiolo ſuo aut filia, vix vnum et dimidium annum habentibus, ſpiritum vini hauriunt: vnde neceſſe eſt, vt vermes naſcantur in corpore tenelli, qui chylum conſumentes nutritionem impediunt, ſicque atrophiae cauſa exiſtunt; aut obſtruantur glandulae meſaraicae, impeditur ſic chyli in ſanguinem iter, inde laeſa nutritio et atrophia. Has etenim glandulas in atrophia defunctis muco infarctas eſſe et iuſto maiores, ſectione anatomica demonſtratum fuit. Quam

vt

vt curarent atrophiam, medici varii varia extollunt; alii enim ſalutem quaerunt remota cauſa in mercurialibus; aliis vero balnea nutrientia, clyſmataque ex lacte iuribusque carnium praeplacent; aliis arridet tinctura rhei cum ſale aliquo medio, vt v. g. terra foliata tartari. Hi propius ad meam methodum accedere videntur; recentiſſimi denique medici, vile vbique obuium, quod et ſolueret et leniter adſtringeret, remedium commendant, glandes nempe quercinas, quas toſtas in aqua decoquunt cum quarta parte coffeae, vel octaua parte baccarum Cacao, *Ioſ. Wilh. Schroeder* *) et *Marx* **).

Dum adhuc medicinae addiſcendae operam nauarem, plures vidi atrophicos infantes hac vel illa methodo tractatos fuiſſe, neque tamen vel vnius memini ſeruati. Eam tum foui opinionem, an non ſolis ſoluentibus, bili quam maxime analogis, iunctis leniter roborantibus, morbo huic felicior medela opponi poſſet. Reſeratis enim infarctibus, adiuta alimentorum partium aquearum cum oleoſis miſcela, adiutoque motu inteſtinorum periſtaltico, ſicque reſtituta debita nutritione, neceſſe eſt, morbum ſublatum iri. Spem igitur concepi in ſoluentium vſu, ex quibus *bilem taurinam inſpiſſatam*, *extractum cicutae*, *taraxaci* ſelegi, cumque mane et veſpere poſtque paſtum febris hectica adſit, *corticem peruuianum*, tam vt febrim ſopirem, quam vt roborarem corpus, addidi. — Contigit, vt anno

*) *Von der Wirkung der Eicheln in Verſtopfungen der Drüſen.*

**) *Magazin vor Aerzte II. St. S. 133. v. Baldinger.*

no 1775 ad ciuis filium *Gottof. N.* vnicum annorum quinque, circa 13. Februarii aduocarer. Retulit pater, eum primis infantiae ſuae annis vegetum fuiſſe, ſanum, pedibus inſtitiſſe, variolas tertio anno, eodemque morbillos absque ope medica perpeſſum eſſe, (hos enim morbos quaeuis mater curat calefaciente methodo, ſicque fere omnes interimunt); quarto vero aetatis anno triſtis eſſe coepit, parum loqui, ſolitudinem amare, continuo ſedere, coactumque ambulare, mox delaſſatum ſellae inſediſſe, membra ſenſim flacceſcere, emaciari, abdomen vero intumeſcere, appetitum in tantum adauctum fuiſſe, vt continuo nutrimentum poſtularet, acceſſiſſe dein diarrhoeam, faeces ab initio flauas, poſtea albidas ramentoſas, tenues, foetidas euaſiſſe. His ſub circumſtantiis pater exterorum medicorum auxilium anxius implorat; hi vermes incuſantes varia anthelminthica, ipſumque mercurium praeſcribunt, at his nihil iuuantibus, nullisque expulſis lumbricis, mutata methodo medendi omnia ſupra dicta aduerſus atrophiam remedia tentant, ipſum quoque decoctum toſtarum glandium quercinarum. Sed non obſtantibus his infans continuo plus marceſcit, abdomen volumine augetur, diarrhoea moleſtior, frequentiorque, febris veſperi, poſtque paſtum increſcere, noctu ſomnus perturbatus, cum ſudore debilitante, ſitis continua, cutis rugoſior fit, continuoque lecto affixus eſſe cogitur. Deſperantes de ſanitate filii parentes, ne ab amicis redarguantur meum auxilium non imploraſſe, tandem aduocant me; vbi adueni infans in ſella perforata ſedet, aluumque deponit, facies erat rugoſa pallida, veluti decrepiti ſenis, flaccida,

rugoſa

rugoſa membra, faeces tenues, albis floccis interſtinctis, abdomen erat tumidum, durum, pulſus celer, debilis, oculi turbidi, lemoſi: victus praeceſſit ex lacte, leguminibus, carnibus durioribus, Heliantho tuberoſo *Linnaei* *). His viſis, habitaque anamneſi, cognitis remediis hucusque vſurpatis, praeſcribo *linctum ex extracto corticis peruuiani aquoſo, taraxaciana drachmis duabus, cicutae ſcrupulo ſemis* **), *bilis taurinae inſpiſſatae, drachma una, ſyrupo menthae q. ſ. ad linctum*, de quo omni hora eidem exhibui cochlear maius, ſimulque ab omni alio, ſiue externo ſiue interno remedio iuſſi abſtinere. Pro victu ſuaſi ſolum ius carnium, cui chaerophyllum cum vitello oui incoctum erat, pro potu aquam fontanam. Sic ſpatio trium ſeptimanarum hunc infantem ſolo hoc remedio continuato reſtitui, in ſex aliis eadem mihi felicitas contigit, dumque haec ſcribo, jam ſeptimus triuum annorum infans D. Directoris *Flas* — reconualeſcit.

V.

Quam varios quamque atroces morbos, ſaepeque intricatiſſimos, vermes in corpore humano habitantes excitare valeant, docet abunde hiſtoria medica; eos quoque choream S. Viti, quam aliqui rarum eſſe morbum, facilem tamen curatu profitentur, producere poſſe, docet ſequens hiſtoria:

Die

*) Syſt. Nat. Edit. XII. T. V. p. 569.
**) Vſu didici, hanc doſin non nocere.

Die 18. Iunii 1776. vocor pomeridiana hora tertia ad puellam annorum decem T. *Fi* —, progenitam a parentibus ſanis, quae a Ianuario jam huius, jam illius membri conuulſione contorqueri coepit, illam jam pallidam, jam roſeam faciem accipere, muſculos faciei, oculorum, colli, linguam, manus et pedes continuo absque vlla remiſſione hinc illic alternatim mouere tam de die quam de nocte. Rogaui vt ambularet; dicunt parentes crus eius dextrum rigidum eſſe, et dum illa obambulat, hoc fatuorum more poſt ſe trahere, quod et me praeſente factum, in manu tenebat panem cui butyrum illitum erat, hunc antequam ori adduxiſſet, mille geſticulationes circulatorum ad inſtar exhibuit; aphona erat ſenſim facta, mente tamen conſtans ſemper; bene illam dormire dicunt parentes, neque plus ſolito manducare, jam ridere jam flere absque vlla cauſa, aluum fere quotidie mollem, pultaceam deponere. Dum in cauſam huius mali ſciſcitarer, nullam aliam accuſare poſſunt, quam quod 16. Ianuarii noctu e lecto ſurgere coacta ad aluum deponendam, nudis pedibus, ſoloque induſio tecta ad locum priuatum conceſſerit, inde rediens horrore maximo prehenſa eſt, qui eam per integras duas horas tenuit; poſt binos poſtea dies digiti rigidi fieri coeperunt manus dextrae, nihili hoc malum habuerunt, at poſt 14 dies haec rigiditas remanſit, alternatimque manus dextra, et ſiniſtra conuulſa eſt. Aduocant tum chirurgum parentes, qui *puluerem epilepticum Rindſcheidleri* exhibuit, verum quotidie inde auctum malum; interrogati an non vermes excreuerit, repoſuerunt nunquam illos in aluo conſpexiſſe, dediſſe tamen allium cum lacte, ſed irrito.

Suſpi-

Suſpicabar tamen ego, a vermibus malum hoc enatum fuiſſe, facies enim jam pallida, jam rubra, pupilla dilatata, album oculorum plumbei coloris fuere, quae me commouerent, vt hos accuſarem. Quare eidem praeſcripſi electuarium ex *cortice peruuiano*, *radice valeriana ſylueſtri*, *ialappa*, *caſtoreo*, *melle tenuius confectum*, de quo omni trihorio ſumeret ad magnitudinem nucis iuglandis, quolibet veſpere iniiciebatur *enema ex lacte*, *cui incoctum erat tanacetum addito ſcrupulo vno caſtorei in ſpiritu vini ſoluto*, ſimulque illam omni tertia die in aqua frigida ad vmbilicum vſque balneare iuſſi. Quo factum, vt dum ſtrenue his vteretur medicamentis, electuariumque tertia vice ex pharmacopoea apportaretur, triginta quinque lumbrici excreti iimminuebant conuulſiones, reſtitueruntque pedetentim loquelam. Nullo amplius verme eliminato, *moſchum cum radice valeriana ſylueſtri* praeſcripſi, ſpinae dorſi admoui cucurbitas ſiccas, vbi omnes ſilueruunt conuulſiones. Ad roborandum ſyſtema neruoſum tollendamque irritabilitatem, remedium n. 29. addita *tinctura fuliginis* mane et veſperi ad vaſculum Roſoglio praeſcripſi; ſic ſpatio trium menſium hanc puellam ſanitati reſtitui, quam hucdum illibatam conſeruat.

VI.

Ruſticus quidam, temperamenti ſanguinei, plurium prolium pater, vitae laborioſae in braxa *Celſiſſimi Ducis* noſtri deditus, dum annum ageret aetatis ſuae 17 ſemper bene valens, ab alio ruſtico ita laceſſitur verbis, vt hic in furorem quaſi ageretur, nique alii acceſſiſſent,

ceſſiſſent, inimicum ſuum fors occidiſſet; eo remoto compreſſa ira, mox brachium ſiniſtrum tremere coepit, nullum habens remiſſionis tempus tam de die quam de nocte. Numquam hic potum ſpirituoſum amabat, neque talia tractabat, quibus fors hoc vitium adſcribi poſſet, ſola cohibita ira huius topici tremoris cauſa accuſari iuſte debet, cum vitium connatum non ſit. Per decem integros annos varia tentauit auxilia; dabantur ei initio draſtica per epicraſim, appoſita veſicantia nuchae, quin et ad ſummum humerum, tentata machina electrica, cuius octo concuſſiones in brachio per vices ſuſtinuit, dein ipſi brachio antiſpaſmodica iniuncta ſpinaeque dorſi; interne antihyſterica et neruina exhibita, praeſcripta balnea martialia topica, at ſine vlla tremoris imminutione, brachium enim continuo tremit de reliquo ſanus. Meum ante binos annos implorat auxilium; brachium tremulum cum ſano comparatum, nullum atrophiae aut rigiditatis alicubi ſignum exhibuit, aeque carnoſum ac alterum, ſenſus et motus illibatus, color naturalis, cum eodem varia tractat, quin et pondera eleuat, debilius tamen altero eſſe dicit, nullum in eo dolorem experitur, non eſt vertiginoſus, verbo nullo alio vitio laborat, ſecretiones et excretiones rite procedunt, pulſus in morboſo brachio eſt debilior, celerior ſano. Spe omni felicis curae me deſtitutum mox cognoui, cum cauſam eius intellixiſſem; in memoriam enim venit Illuſt. L. B. *Suietenii* caſus hominis a fulmine territi per totam vitam trementis, difficile enim eſt impreſſum ſemel neruis characterem immutare.

Interea

Interea tentaui illud remedium quod *Foreſtus* extollit, *Caſtoreum* cum aliis antihyſtericis et neruinis, oleum cajeput, cucurbitas ſiccas brachio apponi juſſi, veſicans nuchae, ipſam totam hominis machinam cutientem arnicam tentaui. Sed licet aeger integro anno his vſus eſſet quam diligentiſſime, nullum auxilium attulere. Anne adhuc huic homini auxilium certum? et quod illud?

VII.

Ciuis Pialenſis, ſutor, temperamenti ſanguinei, annorum 52, ſaepius in iuuentute peripneumoniae obnoxius, die 12. Septembris 1778 ſanus, de nulla moleſtia conquerens, hora decima veſpertina dormitum vadit, obdormitque placide; hora ſecunda matutina ab vxore excitatur, poſtulaturque, vt tributum matrimoniale ei perſoluat. Quo perſoluto, rogat enixe mulier, vt actum repeteret; perſuaſus tandem, dum jam jam coitum terminare vellet, ecce immobilis et aphonus manet in brachiis vxoris; haec ſe ſe ab illo liberans mox ad me venit, orat, vt ad maritum jam jam morientem accederem. Sine motu et ſenſu decumbebat, facies intenſe rubebat, reſpiratio erat ſtertoroſa et grauis, ſtridebat dentibus, pulſus erat plenus, et celer. Mox ſanguinem largiſſimo flumine e brachio detrahi curo, cumque deglutitio necdum omnis abolita eſſet, *aquam laxatiuam D. V. cum ſalis polychreſti Seignette vnciam ſemis* per epicraſim exhibeo; eloto prius inteſtino recto *clyſmate ex ſpeciebus emollientibus addita manna*, atque veſicans nuchae appono. His factis ad ſe redire incipit, circumſpicere, et manum

num dextram ori admouere, propinata aqua fontana, cui nitrum admixtum erat, denuo obdormit, et ſtertit, ſed continuato purgante, operanteque veſicatorio breui ad ſe rediit. Aphonus eſt, amicos agnoſcit, manum dextram et pedem mouet, ſiniſtrum vero brachium pedemque non mouet; irritatus aciculis, nullum doloris ſignum exhibuit. Quare cum pulſus adhuc plenus, et celer eſſet, iterum detractus eſt ſanguis die 16. Septembris, datum *purgans ex manna, tamarindis, rheo, cremoreque tartari* atque adhibitae frictiones cum pannis laneis rudioribus fumo ſuccini, benzoes imbutis. Verum ad vſque die 24. Septembris nihil inde leuata membra paralytica, quin potius intumuerunt. Vnde die 25. cucurbitas cruentas collo, nuchae partibusque paralyticis admoueo, reſinoſum praeſcribo purgans, hocque omni quarto die repeti curo; ſed et haec ad 8. vſque Octobris diem continuata nihil opis attulere: quare eadem die magis penetrantia, et ſoluentia praeſcribo; mixturam nempe *ex ſalis volatilis C. C. dr. vna, aceti deſtil. vnc. vna; facta perfecta ſaturatione adde: moſchi m. g. a. ſ. gr. octo, extracti aconiti gr. quatuor. Aquae rutae vncias ſex, ſyrupi granorum Kermes vnciam ſemis*, de qua ſumat omni bihorio cochlearia duo, ſimul finitis frictionibus perungi membra paralytica linimento n. 32. ter, quater per diem; abſtinere juſſi aegrum a ſpirituoſis, pinguibus et aromaticis. Quae etſi per integros binos menſes continuata fuerit, neque loquelam, neque motum, aut ſenſum in partibus paralyticis reddiderunt. Vnde die 13. Decembris non omiſſis dictis externis ad *infuſum florum Arnicae*, a Cel. *Collinio* adeo praedicatum

dicatum, tanquam ad ſacram anchoram confugio; incepi nimirum a drachma ſemis in libra vna aquae fontanae infuſae, de qua omni quadrihorio ſumeret vncias tres; a prima ſumpta doſi poſt dimidiam horam vomit, chartae inſcribit, ſibi obnubilari oculos, vertiginem praeſto eſſe anxietatemque ſummam, nolleque ſe amplius hac Thea vti; monui tamen, vt haec nihili curet, haec enim eſſe ſigno breui ſecuturi iuuaminis. Obedientiſſimus aeger libram vnam quotidie aſſumſit huius infuſi, pulſus ab illo robore auctus, omni tertia die ſenſim aucta doſis arnicae, donec ad libram aquae drachmae duae acciperentur; ſaepius aeger renuit illa vti, ſpe tamen leuaminis lactatus paruit. Die 4. Ianuarii 1779, jam articulatas quasdam voces proferre valet, vnde ſpe erectus aeger perfectae ſanationis, nihili aeſtimans nauſeam anxietatemque obortam ab arnica, illam continuauit, loquela ſenſum ſic redibat, at in membris paralyticis nullum leuamen. Die decima Ianuarii noctu hora prima flens me accedit eius vxor, dicens breui maritum de vita deceſſurum, tremere membra paralytica ardoremque in illis maritum conqueri, adeſſe gangraenam, cui nulla medela. Iuſſi, bonae eſſe ſpei, tremorem enim hunc in partibus paralyticis facere, vt per concuſſus hos expediatur illud, quod adhuc immeabile in ipſis muſculis, arteriarum finibus, forte et in ipſis neruis, vel horum inuolucris haeret, erectae mentis a me diſceſſit, renuntiatque marito omnia ea, quae eidem dixeram. Illuceſcente die illum adiens, reperi bene loquentem, brachium pedemque ſenſum recuperaſſe, at motus adhuc difficilis erat, continuata arnica per tres adhuc ſeptimanas et

priorem motum in brachio pedeque recuperauit, ſola remanſit debilitas, per ſe temporis ſpatio fugata.

VIII.

Arduam, quin imo ſaepe impoſſibilem eſſe maniae curationem, docet ingens in noſocomiis incurabilium maniacorum numerus, licet enim *mixtura locheriana, moſcho* *), *extracto hellebori nigri tam interne, quam clyſmatibus, aqua frigida fontana copioſe ſumpta* **), *radice hellebori albi in vino macerata cum foliis Sennae* ***), *radice Gratiolae* †), multi curati ſint maniaci, plurimi tamen aeque maniaci manſerunt, ac ante ſumptam medicinam, neque ſpes eſt reſtituendae mentis, niſi ſubſequente morte. Dantur item maniaci, praecipue, qui ab animi affectu repudiato, v. g. matrimonio, in maniam inciderunt, qui verberibus etiam caeſi, omnem repudiant medicinam; quid igitur cum talibus faciendum? anne ſibi relinquendi? Minime. Plures ego tales maniacos tractandos habui, quos feliciter reſtitui, ex quibus vnum afferre liceat exemplum, adhortans omnes medicos, ne antea meam contemnant medendi methodum, quam vbi ipſi eam probaverint.

Nobilis

*) Vide Nou. Act. Acad. Caeſar. Leopold. Car. Tom IV. Norimb. 1770.

**) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte III. B. II. St. S. 346.*

***) Lectures on Materia Medica Vol. II.

†) *Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneygelahrheit etc. III. B. 1771.*

Nobilis foemina Polona, *Thereſia Ridalſky*, annorum 28, temperamenti languinei, trium prolium mater, mox poſt puerperium a marito ſe ſe contemptam opinans, eumque virginem quandam adamare, ſomno omni deſtituitur continuoque loquitur. Die 12. Iulii 1776 maritus animaduertit, eam ſaepe inconcinna proferre, noctuque ſpectra oculis obvolitantia accuſare; jubet ei incidi venam, purgansque ex ialappa ex pharmacopoea affert. Verum repudiat illud, dicitque eſſe venenum, quo illam maritus interficere velit. Die 15. filium lactantem interemiſſet, niſi maritus accurriſſet; in hunc cultro velut furia irruit, necem illi certam allatura, ni fuga conſuluiſſet. Vnde eam ad matrem *Kentium* deuehit; haec blanditiis ſopire illam annitebatur, ſed en non opinante illa filia verberibus eam laceſſit, jam blaſphemat, jam flet, jam canit, jam ridet, linguam latinam, quam nunquam callebat, ſermonibus intermiſcens. Loris igitur eam vinciunt, die 20. maritus meam expoſcit opem; adeo furibundam reperi, vt nemo ſolus eam accedere auſus ſit, calcem e parietibus ſcalpebat, vnde vngues dilaceraba ſibi, faeces, vrinam in lectum dimittebat, iisque ſe inungebat, clamitans hoc eſſe nobiliſſimum coſmeticum; finito hoc opere, dilacerat lora et dein ipſum induſium, nudaque ſtramini incubuit; per ſex dies jam nec potum, nec cibum aſſumſit. Propius ipſam accedens feroces oculos habentem vidi, dumque carpo digitos admouerem, daemonem me eſſe clamabat, qui ad extremum ſupplicium ipſam adduxerus ſim; pulſus erat plenus, quare ſanguinis vncias duodecim e pede detraho, cumque nec potum, nec medici-

medicinam, vi etiam adhibita, sumere vellet: vesi-
[illegible] quidem fuerat, sumsque admouissem, ni me
toties repetita obseruatio docuisset, ea furorem adau-
gere; idem annotauit Cel. Nic. *Friborg* *). Quorum
vero in locum radi caput curo, illique postea omni
quadrante horae lintea quadruplicata aqua frigida hu-
mectata apponi, clysma ex sola aqua calida fontana,
sale, oleoque iniici, vt crassa intestina a faecibus libe-
rentur; post vnam horam ad vsitatum mihi in simili-
bus casibus remedium nimirum, *clysma ex nicotiana*
confugi, quod sequens est: Rec. *Hb. maluae m.*
vnum, fol. tabaci dr. duas, coque cum s. q. aquae fonta-
nae per quadrantem horae; in colatura vnciarum sex
dissolue electuarii hierae picrae unc. semis, salis gem-
mae dr. duas. Hoc iniecto enemate post dimidiam
horam pacata fieri coepit, facies, totumque corpus
liuescere, pulsus celer (haec in omnibus meis aegris ob-
seruaui; non tamen deterreant medentem breui enim
euanescunt haec symptomata), clamant amicae, mor-
tem instare; bono animo eas esse iubeo, paulo post
incidit in somnum vnius horae; hic primus erat a mor-
bi initio, expergefacta denuo delirat, aluumque ter
in lectum dimittit piceam nigramque. Vesperi idem
clysma iniectum, verbo omni die ter illud, aegra li-
cet reluctante, iniectum, vt sic in continua quasi diar-
rhoea aegra foret. Tertia ab vsu enematis septimana
aegra non ita furibunda est, amicas, maritum, matrem
agnoscit per interualla, cibum prima vice expetit (ad
hoc vsque tempus enemate lacteo nutrita est); exhibeo

ius

*) Soc. Med. Haun. Collect. T. II. p. 176.

ius carnium aceto acidulum redditum parca copia, poſt trihorium *tartari ſolubilis*, quem Cel. *Muzell* adeo in hoc morbo depraedicat, vnciam vnam et ſemis in ſufficiente quantitate aquae fontanae diſſoluo, porrigoque pro potu, et medicina; at repudiat illum ſumere, cum tamen videret alium ei omnem denegari, tandem illum haurit; quotidie fere dictam doſim huius ſalis aſſumſit. Praeterea conceſſi fructus horaeos magna in quantitate et iura tenuia carnium, ſolisque his auxiliis continuatis (niſi vbi catamenia fluebant) ſpatio ſex ſeptimanarum hanc feminam priſtinae reſtitui menti. Ab eo tempore ſana eſt, omnium immemor, quae maniaca egerat.

Videtur clyſma ex Nicotiana, reuellendo a ſuperioribus eliminandoque atram bilem, maniam tollere.

TANTVM.

FORMVLAE.

No. 1.

Rec. Cort. peruu. optim. groſſo modo contuſi, vnciam vnam cum ſemiſſe,
Pulp. Tamarindor. vnciam, vnam,
Sal. tartari, ſcrup. vnum,
Coque cum libra vna aqu. fontan. ad remantiam vnc. ſex.
Colat. adde:
Syrupi ribeſior. vnc. ſemis.
D.

No. 2.

Rec. Aqu. fl. ſambuci vnc. ſex.
Nitri puri,
Sal. polychr. Glas. $\overline{aa}$ dr. vnam,
Spir. Vitriol. acid. gut. XLV.,
Oxymell. ſimplic. vnc. vnam.
M. D. omni bihorio cochlearia duo.

No. 3.

Rec. Arcan. duplic.
Cremor. tartari $\overline{aa}$ ſcrup. vnum,
M. f. pulueres tales numero ſex.
D. omni bihorio vnus in aqua frigida.

No. 4.

No. 4.

Rec. Rad. Ipecacuanh. scr. vnum,
Tartar. emet. granum vnum,
M. f. Puluis. pro Dosi.

No. 5.

Rec. Tamarindor. enucl. vnc. duas,
Coq. c. s. q. aqu. fontan. per dimid. hor.
Colat. vnc. tribus
adde:
Suc. Citri, drachm. tres.
D. pro dosi.

No. 6.

Rec. Herb. Maluae, m. vnum,
Fl. Chamomill. rom. drachm. duas,
Aqu. feruidiss. libr. vnam.
Stent adhuc in digestione calida per quadrantem horae
Colat. vnc. decem
adde:
Nitri puri dr. vnam,
Mell. comm. vnc. semis.

No. 7.

Rec. Herb. Althaeae, m. vnum,
Rad. Althaeae, vnc. vnam.
Coq. c. s. aqu. fontan. per dimidium horae
Colat. vnc. decem
adde:
Nitri puri,
Tartar. vitriol. $\overline{aa}$ dr. vnam semis,
Mellis comm. vnc. vnam.

No. 8.

No. 8.

Rec. Cortic. peruv. groſſo modo contus. vnc. vnam,
Rad. Valerian. ſylu. dr. duas,
Sal. tartari ſcrup. vnum.
Coque cum libr. duabus aquae fontanae ad remanentiam vnc. octo.
Mox ab igne remotum decoctum cola.

Dein adde:

Nitri puri,
Sal. polychr. Glas. $\overline{aa}$ dr. vnam,
Spir. Vitrioli acid. gtt. LV.,
Syrup. Berber. vnc. ſemis.
D. S. ſumat omni bihorio vaſculum dimidium Coffetanum.

No. 9.

Rec. Cortic. peruu. groſſo modo contus. vnc. vnam,
Rad. Arnicae dr. duas,
Sal. tartari ſcrup. vnum.
Coq. c. libr. duabus aqu. fontan. ad remanentiam vnc. octo.
Calido liquori colato

adde:

Camphor. p. ſ. gr. ſex,
Spir. Vitrioli dr. vnam,
Extract. Cort. peruu. dr. tres,
Syrup. Ribeſior. vnc. ſemis.
D. S. Sumat omni bihorio vaſculum Coffetanum.

No. 10.

No. 10.

Rec. Cortic. peruu. groſſo modo contus. vnc. vnam,
Rad. Valerian. ſylu.
— Serpentar. virg. $\overline{aa}$ dr. duas,
Sal. tartari ſcrup. vnum.
Coque c. libr. duabus aquae fontan. ad remanentiam vnc. octo,
Calido liquori colato
adde:
Extract. Cort. peruu. aqu. vnc. ſemis,
Spir. vitrioli dr. vnam,
Camphor. p. ſ. gr. ſex,
Syrup. Berber. vnc. ſemis.
Vſus vt antecedentis.

No. 11.

Rec. Cortic. peruu. groſſo modo contus. vnc. duas,
Rad. Arnicae,
— Valerian. ſylu. $\overline{aa}$ dr. duas,
Coq. c. libr. vna ſemis aqu. fontan. ad remanentiam vnc. ſex.
Colaturae adde:
Olei infuſi caſtorei vnc. ſemis,

No. 12.

Rec. Cortic. peruu. groſſo modo contus. vnc. quatuor,
Coqu. cum libris ſex aquae fontanae ad remanentiam libr. quatuor.
Colaturae adde;
Aceti vini optimi, vnc. ſex.

No. 13.

Rec. Extract. Cort. peruu. aqu. vnc. ſemis,
Solue in aqu. fl. ſambuci vnc. octo.

Dein adde:

Vini generosi a. vnc. vnam cum semisse,
Moschi m. g. a. s. gr. octo,
Spir. Vitrioli, dr. vnam,
Syrup. Ribesior. vnc. semis.
D. S. sumat omni hora cochlearia duo.

No. 14.

Rec. Pulu. rad. Arnicae, dr. dimidiam.
F. pulu. nro. sex.
D. omni bihorio vnus in aqua.

No. 15.

Rec. Sal. Absynth. alcal. scrup. vnum.
Solue in
Aqu. fontan. vnc. semis,
adde:
Sachari alb. scrup. vnum,
instilla tempore vsus
Succ. citri vnc. semis.

No. 16.

Rec. Sal. Tartari alc. dr. semis,
Decoct. cort. peruu. vnc. sex,
Spir. Vitrioli q. s. ad saturationem alcali.

No. 17.

Rec. Ferment. panis. acer. vnc. sex,
Sem. sinapi contus. dr. sex,
Sal. comm. dr. quinque,
Aceti q. s.
F. l. a. epispasticum.

No. 18.

No. 18.

Rec. Moſchi indici gr. ſex,
Sacchari alb. ſcrup. duos,
M. f. pulu. pro doſi.

No. 19.

Rec. Aqu. fl. ſambuci vnc. ſex,
Extract. cort. peruu. aqu. vnc. ſemis,
Spir. vitrioli acid. dr. vnam ſemis,
Liqu. anod. min. Hoff. gtt. XXV.
Succ. Hypociſt. dr. vnam,
Syrup. acetoſ. Citri vnc. ſemis.
D. omni bihorio cochlearia duo.

No. 20.

Rec. Alum. rup. dr. vnam,
Aqu. ſtillat. Roſar. vnc. vnam
Solut. D.

No. 21.

Rec. Aqu. Hyſſopi vnc. quatuor,
Gum. ammon. acet. ſcillit. ſol. dr. vnam,
Syrup. de Hyſſopo. vnc. ſemis.
D. omni bihorio cochlear.

No. 22.

Rec. Roob dianucum vnc. duas,
Alum. rup. pulu. dr. vnam,
Spiritus ſalis acidi dr. ſemis, vel vnam, vel vnam cum ſemiſſe.
M. D.

No. 23.

Rec. Cort. peruu. groſſo modo contuſ. vnc. vnam ſemis,
Sal. tartari ſcrup. vnum.
Coque cum vnc. ſedecim aqu. fontan. ad remanentiam librae vnius.
Sub finem coctionis
adde:
Hb. Saluiae,
— Scordii ana, m. vnum.
Stent adhuc in digeſtione calida per quartam horae partem.
Colat. adde:
Alum. rup. dr. ſemis,
Mel. roſar. vnc. vnam,
Spir. vitrioli dr. vnam.

No. 24.

Rec. Vngu. de Althaea vnc. duas,
Camphor. ſcrup. duos.
M. D.

No. 25.

Rec. Mellis. roſar. vnc. vnam,
Spir. ſal. acid. dr. tres.
M. D.

No. 26.

Rec. Aqu. fl. Rhoeados. vnc. tres,
Mucil. ſem. Cydonior. aqu. eadem extract. vnc. ſemis,

Pulu.

Pulu. Bol. armen. dr. tres,
Syrup. Berber. unc. ſemis.
M. D.

No. 27.

Rec. Extract. Cort. peruu. aqu. unc. ſemis,
Alum. crud. ſcrup. duos,
Vini rubri bud. vnc. vnam ſemis,
Aqu. fl. ſambuci vnc. ſex,
Syrup. berber. vnc. ſemis.
M

No. 28.

Rec. Sapon. Venet. dr. duas,
Extract. Taraxaci dr. vnam,
— Cicutae ſcrup. ſemis
Tartar. tartariſat. ſcr. vnum,
Terebinth. venet. q. ſ. f. pil. ad pond. gr. duor.
D. pro doſi numero ſex.

No. 29.

Rec. Limatur. Martis non rubig. dr. ſex,
Cort. peruu. groſſo modo contus.
Bacc. Lauri contus. ana vnc. ſemis.
Cort. Cinnamom. dr. vnam,
Vini rubri bud. libr. vnam atque ſemis.
Stent in digeſtione calida per horas XXIV.
Colat. D.

No. 30.

Rec. Extract. Aconiti,
Sulphur. aurat. antimon. tert. praecip. ana granum vnum,

Pulu. milleped. gr. quindecim,
Magnes. Nitri ſcr. vnum,
M. f. pulu. tales numero octo.

No. 31.

Rec. Sal. volatil. C. C. dr. vnam,
Acet. deſtil. vnc. vnam.
Facta perfecta ſaturatione
adde:
Gumm. Guaiaci vitel. ov. ſol. dr. vnam,
Extract. Aconiti grana ſex,
— Chamaepityos ſcrup. duos,
Aqu. Fumariae vnc. quatuor,
Syrup. de Fumar. dr. tres.
M.

No. 32.

Rec. Spir. vini camph. vnc. ſex,
Vngu. neruin. vnc. duas,
Tinctur. Cantharid. dr. duas
M. D.

No. 33.

Rec. Olei Vitrioli puri, dr. vnam,
Aqu. fontan. pur. dr. quinque.
Finita efferueſcentia
adde:
Syrup. Rubi idaei dr. duas.